C. J. EGGINK.

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI

VITAM SOLONIS

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM SOLONIS.

TYPIS L. VAN NIFTERIK HZ.

0

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM SOLONIS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ex auctoritate rectoris magnifici

A. E. J. MODDERMAN,

jur. rom. atque hod. doct. et in facultate juridica prof. ord.,

amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

et

nobilissimae FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE et LITERARUM HUMANIORUM decreto,

Pro Gradu Doctoratus

summisque IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE et LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA honoribus ac privilegiis

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

rite et legitime consequendis, facultatis examini submittet

CORNELIS JOHANNES EGGINK,


ex pago Oegstgeest Hollandus,

die XXIII mensis Novembris a. MDCCCLXXVIII, hora II—III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

Apud S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXVIII.


HARVARD COLLEGE
JUL 13 1911
LIBRARY.

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM SOLONIS.

Cap. I, 2 [1]).

πρὸς Ἀσκληπιάδην.

Asclepiades, adversus quem Didymus commentarium de tabulis Solonis scripsit, idem fuisse videtur atque Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, quem Strabo 3, pag. 157 artem grammaticam in Turditania docuisse tradit. Eundem Romae quoque artem professum esse Pompeji aetate testis est Suidas, cujus verba tamen haud dubie vitium contraxerunt, quum continuo sequatur eum ἐπὶ τοῦ τετάρτου Πτολεμαίου adolescentem Alexandriae versatum esse. Repugnat ratio temporis: quartus enim Ptolemaeus, cui cognomen Φιλοπάτωρ erat, seculo a. Chr. n. tertio exeunte mortuus est. Necesse igitur est alium numerum substituamus, quod non sine causa facere possumus, quia saepissime ex notis

---

[1]) Secutus sum editionem Caroli Sintenis, quae prodiit Lipsiae, 1839—1846.

numerorum male acceptis immania vitia nata sunt. Cujus rei si quis exempla requirit, inspiciat Var. Lectt. V. Cl. Cobeti, p. 122 sq., 362 et Nov. Lectt. p. 212, 230, 241, 795. Ex ejusdem Var. Lectt. p. 431 discimus Δ, quod in ceteris libris est pro *τέσσαρες*, in vetussissimis pro Δ(*έκα*) esse. Hunc igitur numerum nostro loco restituendum atque *ἐπὶ τοῦ δεκάτου Πτολεμαίου* legendum esse existimo. Qui enim decimo Ptolemaeo, Sullae aequali, regnante adolescens Alexandriae vixerit, nihil obstat quominus idem Pompeji temporibus Romae artem grammaticam professus sit.

Ib. 24 *καὶ τρόπον τινὰ τοὺς ἀξίους προκαλούμενος ὧν τοὺς ἀναξίους ἀπήλαυνε.*

Reiskius annotat: „bene si habet vulgata, debet accipi pro *ἐπὶ ταῦτα προκαλούμενος*; quamquam utique vellem sic legi, nam vulgata admodum est dura." Optime mihi vulgata se habere videtur, permulti enim sunt loci, e quibus apparet vocabulum *προκαλεῖσθαι*, quod est provocare, invitare, et alia ejusdem significationis verba, veluti *προτρέπειν*, *πείθειν*, *ἀναγκάζειν*, cum duplici accusativo conjungi solere. In Ar. Acharn. v. 652 legitur:

διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται,

Dem. pag. 864 (30, 1) *πολλὰ καὶ δίκαια προκαλεσάμενος ἀμφοτέρους*, Thuc. II, 72 *ἅπερ καὶ τὸ πρότερον ἤδη προὐκαλεσάμεθα*, etc.

Ib. 27 *Ἀκαδημίᾳ*. Ita scriptum est apud Sintenisium, sed corrigendum *Ἀκαδημείᾳ*. Sexcenties in libris manuscriptis *ει* et *ι* confundi nostrumque esse statuere utrum hoc an

illud scribi oporteat, res est notissima et permultis exemplis demonstrari potest. Etiamsi analogia nos non doceret formam 'Ακαδήμεια solam genuinam esse, tamen intelligi posset ex nonnullis senariis, qui apud Athenaeum inveniuntur, ubi metrum nullum dubitationi locum relinquit. Collegit hos locos V. Cl. Cobetus, Nov. Lectt. p. 77.

Ib. *οἱ τὴν ἱερὰν λαμπάδα διαθέοντες*. Reiskius quum verteret „qui sacram facem decurrunt", quantum intelligo, non satis attendit ad significationem praepositionis *διά*, quae hoc loco ut multis aliis, ubi tamen verba ita composita plerumque medii formam induunt, verbo addit vim c e r t a m i n i s et c o n t e n t i o n i s; cf. Cob. Nov. Lectt. p. 625 sq. Valckenaer. ad Herod. V, 18.

Cap. II, 2. *ὥς φησιν Ἕρμιππος κ. τ. λ.*

De Hermippi, qui hic laudatur, patria, aetate, scriptis variae sunt virorum doctorum sententiae. Plerique autem, Vossium de hist. gr. I, 16 secuti, Smyrnaeum eum putant fuisse, quam opinionem testimonio Athenaei probare conantur. In Deipnosophistis enim, VII, p. 237 c commemoratur Ἕρμιππος ὁ Σμυρναῖος. Sed hic est unicus locus, ubi nomen Ἕρμιππος cum additamento ὁ Σμυρναῖος inveniatur, neque pro certo affirmari potest Hermippum Smyrnaeum, qui teste Athenaeo commentarios in Hipponactis jambos composuerit, eundem fuisse atque illum Hermippum, quo Plutarchus in vitis Solonis aliorumque conscribendis usus sit. De patria igitur nihil constat. De aetate accuratius statuere licet: apud Athenaeum (II, p. 58 f, V, p. 213 f,

XV, p. 696 f) appellatur ὁ Καλλιμάχειος, i. e. discipulus Callimachi, clarissimi illius poëtae atque grammatici, qui sub Ptolemaeo II Philadelpho Alexandriae praefectus bibliothecae erat, circa Ol. 124. Hunc Hermippum igitur Ptolemaeo tertio et quarto regnantibus tertio a. Chr. n. seculo floruisse consentaneum est. Ex magna, qui sub Hermippi nomine feruntur librorum copia, opus, quod inscribitur Βίοι, hic illic apud Diogenem Laërtium commemoratum, (I, 33, II, 13, V, 2) haud dubie Callimachium auctorem habuit. Hujus operis plerique partes fuisse putant libros περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν (Athen. X, p. 443 a) et περὶ νομοθετῶν (Athen. XIII. p. 555 c, IV, p. 154 d, XIV, p. 619 b). Multa autem, quae Plutarchus quum ad Solonis vitam tum ad ejus leges pertinentia hic et alibi attulit, originem ducere ex Hermippi opere verisimillimum est. Attamen idcirco non licet affirmare Plutarchum ipsa Hermippi scripta in manibus habuisse. Immo in iis partibus, in quibus Plutarchus de Solonis vita privata exposuit, satis apparet eum Hermippi scripta non inspexisse, sed ex aliis tantum auctoribus ea cognita habuisse. Capite primo narrat Plutarchus omnes uno ore Solonem Execestidae filium dicere, viri opibus et potentia inter cives mediocris, quod nihil aliud significare posse videtur, quam Solonis patrem in parvo patrimonio natum fuisse; secundo autem capite, quo diversae, quae de Solonis peregrinationum causis feruntur sententiae continentur, pater Execestides Hermippo auctore munificentia et largitionibus divitias attriverat. Hanc dissensionem ita explicandam arbitror, ut Plutarchum neutro loco Hermippum ipsum adhibuisse statuamus, quia alioquin

continuo priori loco discrepantem Hermippi sententiam addere debuisset, et uni eidemque auctori, apud quem etiam Hermippus laudaretur, totum deberi caput secundum.

Ib. 23 *ἐν δὲ τοῖς τότε χρόνοις, καθ' Ἡσίοδον, ἔργον οὐδὲν ἦν ὄνειδος.* Verba Hesiodi, quae Plutarchi animo obversantur et partim ab eo ad verbum laudantur, lèguntur in Opp. v. 309—313. Attamen parum apte Plutarchus mihi auctoritatem Hesiodi protulisse videtur ad confirmandam sententiam de moribus aetatis Soloneae, quippe quae duobus fere seculis ab Hesiodo distet.

Ib. 29 *καὶ Θαλῆν δέ φασιν ἐμπορίᾳ χρήσασθαι.* Cobetus in Mnem. Nov. Ser. VI, p. 131 ad proxime praecedentia, in quibus Plutarchus brevissime de Massilia condita disputavit, haec annotat: „verisimillimum est Plutarchum, qui Aristotelis Πολιτείας sedulo lectitabat, sua ab Aristotele sumsisse." Quod aeque pertinere existimo ad nostrum de Thalete locum, qui ex Aristotelis Politicis derivatus esse videtur. Plutarchus enim, ni fallor, cogitavit de noto Thaletis facto, quod tribus, quantum ego scio, locis nobis traditur. Legitur enim apud Ciceronem de Divin. I, § 111, 112, apud Diog. Laërt. I, 26 et in Aristotelis Politicis (Müller, frgm. hist. Graec. II, p. 165) Thaletem, ut obtrectatores suos convinceret ostenderetque quam facile esset divitem fieri, quum praesensisset magnam olearum ubertatem fore, omnia in agro Milesio olearia conduxisse atque inde innumerabiles sibi pecunias comparasse. Diogenes Laërtius in hac historia enarranda testimonium affert Hieronymi Rhodii,

his verbis usus: *Φησὶ καὶ ὁ Ῥόδιος Ἱερώνυμος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων*; quia autem Diogenes tam fideliter auctores suos sequi solet, ut ad verbum plerumque, quae apud eos invenerit, referat, ea, quae deinde sequuntur, Hieronymi verba esse verisimile est. Hic Hieronymus Rhodius teste Athenaeo X, p. 424 f discipulus Aristotelis erat. Ejus de Thalete narrationem totam ab Aristotele mutuatam esse liquide apparebit, si utriusque verba descripserimus:

Aristoteles (Müller, p. 165):	Hieronymus Rhodius apud Diogenem Laërtium:
ὀνειδιζόντων γὰρ αὐτῷ (Θαλῇ) διὰ τὴν πενίαν ὡς ἀνωφελοῦς τῆς φιλοσοφίας οὔσης, κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας, ἔτι χειμῶνος ὄντος, εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων ἀῤῥαβῶνας διαδοῦναι τῶν ἐλαιουργίων (leg. *ἐλαιουργείων*) *τῶν τ' ἐν Μιλήτῳ καὶ Χίῳ πάντων, ὀλίγου μισθωσάμενον, ἅτ' οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος· ἐπειδὴ δ' ὁ καιρὸς ἧκε, πολλῶν ζητουμένων ἅμα καὶ ἐξαίφνης, ἐκμισθοῦντα ὃν τρόπον ἠβούλετο, πολλὰ χρήματα συλλέξαντα ἐπιδεῖξαι, ὅτι ῥᾴδιόν ἐστι πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις, ἂν βούλωνται, ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἐστὶ περὶ οὗ σπουδάζουσιν.*	*(Θαλῆς) βουλόμενος ἐπιδεῖξαι ῥᾷον* (leg. *ῥᾴδιον*) *εἶναι πλουτεῖν, φορᾶς μελλούσης ἐλαιῶν ἔσεσθαι, προνοήσας ἐμισθώσατο τὰ ἐλαιουργεῖα καὶ πάμπλειστα συνεῖλε* (leg. *συνέλεξε*) *χρήματα.*

E comparatione cognoscimus Hieronymum plane idem iisdem verbis, sed in brevius tantum contractum, atque Aristotelem narrasse. Si igitur Plutarchus eandem respexit

historiam, eum aut ex ipsis Aristotelis Politicis, quae saepe inspicere solebat, aut ex alio quodam scriptore, qui Aristotelem excerpsisset, hausisse puto.

Cap. III, 8.

πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον· ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Hi versus a Stobaeo (Flor. I, 16) Theognidi ascribuntur et in Theognidis editionibus reperiuntur (v. 315—318). Sed Soloni eos vindicandos esse inde manifestum est, quod etiam tribus aliis locis a Plutarcho Soloni tribuuntur: vv. 2, 3, 4 leguntur apud Plut. de profect. in virt. c. 6 et de tranq. animi c. 13, v. 2 et prior pars v. 3 de cap. ex inim. util. c. 11. Possit aliquis offendi vocabulo τὸ in v. 3, quod ad ἀρετῆς referendum est, sed cf. Hom. Od. 9, 358—360, ubi ita legitur:

καὶ γὰρ Κυκλώπεσσι φέρει ζείδωρος ἄρουρα
οἶνον ἐ ρ ι σ τ ά φ υ λ ο ν, καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει·
ἀλλὰ τόδ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρός ἐστιν ἀποῤῥώξ.

Ib. 13 παίζων ὡς ἔοικε προσχρήσασθαι. Lectio Codicum nullo modo ferri potest, quia verbum finitum, quod vocant, desideratur. Sintenis ita mendum tollere conatus est, ut Reiskium secutus pro ὡς scriberet πως, sed mihi potius ὡς delendum videtur, quod praeeunte Stephano video a Bekkero factum esse. Possis conjicere Ω C ex similitudine ultimarum vocabuli praecedentis literarum vitiose additum esse.

Ib. *παράγων ἑαυτόν* quod ex Bryani correctione pro vitiosa Codicum lectione *περιάγων* omnes, quod scio, editores praeter Reiskium receperunt, significat: relaxandi animi gratia. Hunc esse hujus locutionis sensum optime intelligi potest ex loco Platonis, ubi etiam sermo est de Solonis artis poëticae studio. Locus est in Timaeo, p. 21 c: *εἴ γε μὴ π α ρ έ ρ γ ῳ τῇ ποιήσει κατεχρήσατο, ἀλλ' ἐσπουδάκει καθάπερ ἄλλοι.* Eodem sensu auctor noster c. 39 usus est verbo *παραπέμπων: σχολῇ καὶ παιδιᾷ καὶ νὴ Δία ποτοῖς καὶ μουσικῇ παραπέμπων ἑαυτόν.*

Ib. 18 *ἔνιοι δέ φασιν κ. τ. λ.* Narrat Plutarchus fuisse qui traderent Solonem suas leges metro illigasse eosque exordium hujus carminis memoriae prodidisse. E verbis, quibus auctor noster in hac re commemoranda usus est, necessario sequi mihi videtur ipsum Solonis carmina ante oculos non habuisse, sed eos, quos laudat Solonis versus apud alios scriptores invenisse. Si enim omnia Solonis carmina in unum librum collecta ei in manibus fuissent, (quod autem apud Plat. Tim. p. 21 b legitur, Athenis pueros multorum poëtarum carmina ediscere atque Solonis versus decantare solere, id documento esse potest, antiquitus fasciculum carmina Solonea complectentem fuisse) non erat quod dubitaret utrum distichon Solonis esset necne; si enim fasciculo continebantur, erant versus ab ipso Solone conscripti, sin minus, suppositi erant. Ex eo autem, quod aliorum auctoritate nixus hos versus exscripsit, ipsum Solonis carmina non inspexisse necessario statuendum arbitror.

Ib. 26

ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης·
βροντὴ δ' ἐκ λαμπρᾶς γίνεται ἀστεροπῆς.
ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται· ἢν δέ τις αὐτήν
μὴ κινῇ πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.

Plutarchus, qua saepe est levitate, hoc loco duo ex diversis elegiis disticha conjunxisse videtur. Prius distichon esse membrum comparationis docet nos Diogenes Laërtius, qui alterum comparationis membrum continuo adjunxit, ita scribens: (I, 50) τὰ δὲ περὶ τῆς τοῦ Πεισιστράτου τυραννίδος ἐλεγεῖα προλέγοντος αὐτοῦ ταῦτα ἦν·

ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης·
βροντὴ δ' ἐκ λαμπρᾶς γίνεται ἀστεροπῆς·
ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται· εἰς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀϊδρίῃ δουλοσύνην ἔπεσεν.

Haec optime inter sese cohaerent; est enim similitudo, cujus praecipua vis latet in v. 2 et 3: „quemadmodum ex fulgenti fulgure tonitru oritur, sic civitati pernicies affertur ab illustribus viris." Alterum a Plutarcho commemoratum distichon priori non subjungendum esse inde quoque colligi potest, quod nequaquam, ut vult Plutarchus, demonstrare videtur „quam simplex Solon in rebus physicis esset." Rem acu tetigisse censeo Bergkium, qui hoc distichon referat ad elegiam, qua Solon nota similitudine populum cum mari comparaverit. Eadem comparatio invenitur apud Herodotum VII, 16, apud Polybium XI, 29, apud Livium XXVIII, 27, apud Ciceronem pro Cluentio § 138.

Cap. IV. Hoc capite continetur nota illa historia de tripode aureo a piscatoribus e mari extracto, qui, quum Apollo Delphicus consulentibus respondisset sapientissimo homini eum dandum esse, ab alio ex septem, quos vocant, sapientibus ad alium missus est, donec postremo ad ipsum deum translatus est. Idem legitur apud Val. Max. IV, 1, 7 et accuratius apud Diog. Laërt. I, 27—33. E comparatione duarum apud Diogenem et apud Plutarchum narrationum sequitur eos quos Plutarchus in fine capitis vocabulis *οἱ μὲν* designat scriptores esse Eudoxum Cnidium et Euanthem Milesium, ceteros autem, qui *οἱ δὲ* nominantur, Eleusim in libro, quem de Achille scripsit, Alexandrum Myndium (ita nomen scribendum esse, non Ἀλέξων, quemadmodum apud Diogenem legitur, ex multis Athenaei locis patet) in nono Fabulosorum libro et Callimachum in jambis, qui sua accepit a Leandrio (Maeandrio?) Milesio [1]). Diogenes Laërtius nobis servavit oraculum ab Apolline Milesiis datum, in quo tamen latet vitium, quod facillime tolli potest. Diog. I, 28:

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

---

[1]) Commemorantur duo auctores de rebus Milesiacis, alter Maeandrius, alter Leandrius sive Leander: „verum quum duo ista nomina ob similitudinem confundi facillime possent, deinde vero forma Λεάνδριος, quae locis plurimis obtinet, tamquam nomen proprium nusquam, quatenus equidem scio, occurrat: verisimillimum sane est fragmenta, quae de rebus Mileti aliisque Asiae minoris regionibus ex Maeandrio vel Leandrio vel Leandro citantur, uni eidemque auctori esse vindicanda; nominum vero confusionem inde explicandam, quod Leandri nomen multo notius esset." Müller, frgm. Hist. Graec. II, p. 334.

τίς mutandum est in ὅς; requiritur enim pronomen relativum, ad quod sequens demonstrativum τούτου referatur. τίς, quod non potest esse nisi pronomen interrogativum aut indefinitum, nullo modo hic ferri potest.

Cap. IV, 6. Κώων γάρ κ. τ. λ. Vera scriptura est Κῴων, cf. Boeckh, C. I. Graec. Pars XII p. 388 (2505) „Nummi constanter ΚΩΙΩΝ et sic etiam tituli, n⁰. 2509 ἁ βουλὰ καὶ ὁ δᾶμος τῆς λαμπροτάτης Κωΐων πόλεως κ. τ. λ. 2512 Διονυσίου πόλεως Κωΐων οἰκονόμου."

Ib. 8 χρυσοῦς ἐφάνη τρίπους ἑλκόμενος. Cob. Mnem. Nov. Ser. Vol. VI, p. 131: „Leg. 'ΑΝελκόμενος. Piscatoria verba sunt ἀνασπᾶν et ἀνέλκειν." Id ipsum verbum compositum legitur in Diogenis Laërtii de eadem re narratione, I, 28: ἀ ν α σπασθέντος δὲ τοῦ τρίποδος ἀμφισβήτησις ἦν.

Cap. V. Idem, quamquam discrepans in singulis rebus, de primo Anacharsidis et Solonis congressu narrat Diog. Laërt. I, 101, 102 [1]), qui Hermippum auctorem historiolae laudat. Inde manifestum esse videtur Plutarchum quoque hoc loco ex Hermippi scriptis hausisse. Praeterea alterum etiam hujusce rei argumentum esse censeo. Plutarchus in extrema parte capitis sequentis, in quo colloquium inter Thaletem et Solonem enarrat, ita ut prior vitae caelibis,

---

[1]) § 102: ἔνθεν ὁ 'Ανάχαρσις ἐθὼν ἔφη, νῦν α ὐ τ ὸ ς ἐν τῇ πατρίδι εἶναι, καὶ προσήκειν αὐτῷ ξένους ποιεῖσθαι. Quomodo Anacharsis Scytha Athenis dicere possit se in sua patria esse, equidem non video; pro αὐτός igitur αὐτόν legendum erit, ut Solon intelligatur.

alter matrimonii patrocinium suscipiat, ipse historiolae modo relatae auctorem his verbis indicat: *ταῦτα μὲν οὖν Ἕρμιππος ἱστορεῖν φησι Πάταικον, ὃς ἔφασκε τὴν Αἰσώπου ψυχὴν ἔχειν*, i. e. atque haec quidem Hermippus Pataecum, qui animam Aesopi in se transiisse dixit, scribere refert. Hanc igitur de Thalete et Solone historiam Plutarchus ab Hermippo se accepisse ipse testatur. Si autem duo capita, quintum et sextum dico, inter se comparamus, arctissime inter sese cohaerere neque alterum ab altero separari posse liquido apparere existimo. Oratio enim obliqua, quae per totum caput sextum usque ad verba *ταῦτα μὲν οὖν Ἕρμιππος κ. τ. λ.* uno tenore continuatur, a verbis *ἀναγράφουσι* et *φασί* in initio capitis quinti pendet, quibuscum eadem orationis obliquae constructio in capite quinto iungitur, quod etiam patet ex particulis *μὲν* et *δέ*: *Ἀνάχαρσιν μὲν εἰς Ἀθήνας φασὶν ἐπὶ τὴν Σόλωνος οἰκίαν ἐλθόντα κόπτειν κ. τ. λ.* (cap. 5), *Πρὸς Θαλῆν δ' εἰς Μίλητον ἐλθόντα τὸν Σόλωνα θαυμάζειν κ. τ. λ.* Quodsi conceditur haec duo capita sejungenda non esse, ex eodem fonte, quem Plutarchus in fine capitis sexti commemorat, ea manasse statuamus necesse est.

Cap. V, 5. *ἀποκρινομένου δὲ τοῦ Σόλωνος.* Omnino hoc loco requiritur participium aoristi, non praesentis, quod ex Codicibus in plurimas editiones receptum video. Assentiendum igitur est Sintenisio, qui praeeunte Coraë ex uno codice Parisino (litera C designato) unice veram lectionem *ἀποκριναμένου* in textum recepit.

Ib. 16. *τὸν δὲ Σόλωνα πρὸς ταῦτά φασιν εἰπεῖν, ὅτι καὶ συν-*

θήκας ἄνθρωποι φυλάττουσιν. Sententia loci articulum postulat, reponendum igitur *ἄνθρωποι*, cf. quae de crasi apud Plutarchum neglecta attulit V. Cl. Cobetus, Mnem. Nov. Ser. Vol. VI, p. 133. Exempla leguntur cap. 22, 20 *ὅθεν ἕκαστος ἔχει τὰ ἐπιτήδεια*, et cap. 28, 22 *ἐκεῖνος ὁ ἀνήρ*.

Ib. 23. *ὅτι λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' Ἕλλησι, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς.* Haec, ut ex praecedentibus patet, ad concionem referenda sunt. Simile Anacharsidis dictum laudatur a Diog. Laërt. I, 103: *θαυμάζειν δ' ἔφη, πῶς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δ' οἱ μὴ τεχνῖται*, quae verba de judicibus in certaminibus tragicis comicisque intelligenda esse videntur. Comparandus est Aelianus, qui eos imperitiae aut animi venalis arguit, his verbis: (Var. Hist. II, 8) *γελοῖον δὲ Ξενοκλέα μὲν νικᾶν, Εὐριπίδην δὲ ἡττᾶσθαι, καὶ ταῦτα τοιούτοις δράμασι· τῶν δύο τοίνυν τὸ ἕτερον, ἢ ἀνόητοι ἦσαν οἱ τῆς ψήφου κύριοι καὶ ἀμαθεῖς καὶ πόῤῥω κρίσεως ὀρθῆς ἢ ἐδεκάσθησαν.*

Cap. VI, 5. *Πυθομένου δὲ τοῦ Σόλωνος εἰ δή τι καινὸν ἐν ταῖς Ἀθήναις.* Reiskius legit: *εἰ ἴδῃ τι κ. τ. λ.* atque haec annotat: „sic dedi de meo, pro vulgari *εἰ δή τι*," nullam afferens causam, cur lectionem vulgatam mutaverit. Equidem intelligere non possum, quid eum moverit, ut locum sanissimum corrumperet, praesertim quum versionem latinam intactam reliquerit: „quaerente Solone, num quid Athenis novi." Nihil lectione vulgata usitatius est, si quis ex altero adveniente quaerere vult num quid sit novi; cf. Soph. Oed. Col. 722: *τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ, καινόν;* quae sunt verba

Oedipi ad Antigonam in scaenam prodeuntem. Optime igitur se habet lectio vulgata, mutatione nihil opus est. Quid, si praeterea apparet lectionem a Reiskio propositam plane vitiosam esse atque abhorrere a constanti Graecae linguae usu? Est enim notissima lex syntaxeos Graecae post tempus praeteritum in sententia, quae pendeat a verbo praecedenti, requiri optativum aut indicativum, conjunctivum tantum admitti, ubi indicandum sit, quid debeat esse, ubi in conjunctivo notio deliberandi insit, ut apud Thuc. II, 4: *οἱ Πλαταιῆς ἐβουλεύοντο εἴτε κατακαύσωσι* (sc. *τοὺς Θηβαίους*) *ὥσπερ ἔχουσιν, ἐμπρήσαντες τὸ οἴκημα, εἴτε τι ἄλλο χρήσωνται*, et apud Herod. II, 52: *ἐπεὶ ὦν ἐχρηστηριάζοντο ἐν τῇ Δωδώνῃ οἱ Πελασγοὶ, εἰ ἀνέλωνται τὰ οὐνόματα τὰ ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἥκοντα*. Sed nostro loco conjunctivus deliberativus, quem vocant, ferri prorsus non potest, atque igitur lectio vulgata *εἰ δή τι καινόν* integra relinquenda est.

Ib. 16. *ὑποβάλλειν*. Recte, ut mihi quidem videtur, Reiskius *ὑποβαλεῖν* dedit pro *ὑποβάλλειν*. Hujus enim infinitivi prorsus eadem ratio est atque aliorum hujus capitis, qui omnes aoristi sunt: *σιωπῆσαι, παρασκευάσαι, εἰπεῖν, φάναι* (ter positum), *ὁρμῆσαι*. Necesse igitur est etiam hic aoristus scribatur, quum significare debeat rem semel tantum factam, non rem per aliquod tempus continuatam, quod imperfectum *ὑποβάλλειν* exprimeret. Non est autem cur nos moretur quod haec lectio in nullo codice inveniatur, quia in libris manuscriptis sexcenties confunduntur aoristus et praesens, *βάλλειν* et *βαλεῖν*, *ἄγειν* et *ἀγαγεῖν*, *λείπειν* et *λιπεῖν*

πείθεσθαι et πιθέσθαι, φεύγειν et φυγεῖν similiaque, ubi editoris est statuere utrum praestet.

Cap. VII, 7. ἀλλὰ καὶ παῖδα θετὸν ἔσχε ποιησάμενος αὐτὸς τὸν τῆς ἀδελφῆς, ὥς φασι, Κύβισθον. Idem narrat Diogenes Laërtius, addens tamen fuisse qui affirmarent Thaletem uxorem duxisse filiumque Cibissum ex ea procreasse; Diog. Laërt. I, 26: ἔνιοι δὲ καὶ γῆμαι αὐτὸν καὶ Κίβισσον υἱὸν ἔχειν, οἱ δ' ἄγαμον μεῖναι, τῆς δ' ἀδελφῆς τὸν υἱὸν θέσθαι.

Ib. 13. ἀλλότριοι ἢ νόθοι θεράποντες. Non possum accedere ad sententiam Sintenisii, ita quemadmodum supra exscripsi locum constituentis. Quid enim haec verba νόθοι θεράποντες sibi volunt? Sexcenties reperies νόθος υἱός, νόθοι παῖδες, quibus opponuntur γνήσιοι, υἱὸς γνήσιος, ἀδελφὸς γνήσιος, μήτηρ γνησία, sed nusquam νόθοι aut γνήσιοι θεράποντες me legere memini. Qui autem codicem Parisinum litera C designatum exscripsit, haec duo verba inter se conjungi non posse intellexisse, atque hanc ob causam vocabulum παῖδες inseruisse videtur: deinde post παῖδες habet ἤ. Imm. Bekker unius codicis C auctoritatem secutus in editione sua sic legit: ἀλλότριοι καὶ νόθοι παῖδες ἢ θεράποντες. Optime haec sese haberent, si modo, quam ob causam in omnibus ceteris codicibus vocabulum παῖδες absit demonstratum esset. Verum, ni fallor, Reiskius vidit, qui, παῖδες, quo facile carere possumus, omittens ita locum praestat: ἀλλότριοι καὶ νόθοι ἢ θεράποντες. In annotationibus autem addit: „tres nominat classes hominum, 1°. ingenuos alienos, 2°. tuos sed spurios, 3°. servos de familia tua."

Cap. VIII et IX. Duobus his capitibus describit Plutarchus quomodo Solon Atheniensibus, ut Salaminem a Megarensibus occupatam recuperarent, persuaserit et quo dolo contra Megarenses usus sit. Hanc Plutarchi narrationem si accuratius inspexerimus eamque cum iis, quae hac de re apud alios scriptores inveniuntur, comparaverimus, nostrum auctorem gravi implicitum esse errore statuendum esse credo. Videamus igitur quae Plutarchus tradat. Quum Athenienses gravi et diuturno bello de Salamine insula contra Megarenses fatigati ejus, qui de recuperanda insula ad populum tulisset, caput sacrassent, Solon, hanc ignominiam graviter ferens, praesertim quum videret multos e junioribus occasionem renovandi belli quaerere, eos tamen metu legis retineri, dementia simulata repente in forum prosiluit, atque ibi magna eum hominum multitudine circumstante, e praeconis suggestu versus in hanc rem compositos recitavit, quibus ita cives inflammavit, ut suadente Pisistrato legem abrogarent et bellum contra Megarenses redintegrarent. Pergit deinde Plutarchus describens quemnam dolum secundum famam maxime vulgatam Solon adhibuerit, ut falleret Megarenses. Solon praefectus bello cum Pisistrato ad Coliadem [1]) navigavit, quumque ibi matronas sacra Cereri facientes offendisset, hominem fidum, qui se transfugam esse simularet, Salamina misit, qui moneret, si primarias Atheniensium mulieres comprehendere vellent, secum quam celerrime ad promontorium Coliadem

---

[1]) Est promontorium. quod viginti stadiis a Phalero abest, cf. Paus. I, 1, 5 *ἀπέχει δὲ* (sc. *ἀπὸ τοῦ Φαλήρου*) *σταδ΄ους εἴκοσιν ἄκρα Κωλιάς.*

navigarent. Megarenses statim navem militibus complent, quam quum Solon appropinquantem animadverteret, mulieres abire jussit, adolescentes vero imberbes vestibus muliebribus indutos lusitare et saltare in litore pugionibus sub veste abditis. Megarenses quum navem appulissent et velut feminas capturi in terram desiluissent, omnes ab Atheniensibus interfecti sunt. Hi autem statim Salaminem profecti facile insula potiti sunt. Idem nomine Pisistrati tantum omisso narrat Polyaenus Strateg. I, 20, 1. Capite nono Plutarchus scribit quae apud alios auctores de hac expeditione inveniantur. Primum enim tradunt Apollinem Delphicum Soloni oraculum dedisse, ut heroas, quorum in fide insula esset, sacris veneraretur; Solonem autem statim deo obtemperavisse, deinde ab Atheniensibus quingentos voluntarios accepisse, penes quos, si insulam expugnassent, arbitrium reipublicae ibi constituendae futurum esset; Megarenses, allato nuntio Athenienses cum navibus advenire atque jam prope Salaminem ancoras jecisse, unam navem, quid hostes agerent, speculatum misisse. Qua oppressa et in vincula conjectis Megarensibus Solonem delectos ex Atheniensibus navi imposuisse, quibus imperasset ut quam occultissime urbem peterent, ipsum cum ceteris militibus pugna terrestri contra hostes dimicasse, quo iis, qui in navi essent, urbis occupandae facultatem praeberet; hoc modo victoriam de Megarensibus reportatam esse, cujus in memoriam Solonem Enyalio sacellum consecrasse. Haec sunt quae Plutarchus de Salamine ab Atheniensibus Solonis ductu capta habet. Prior autem ejus expositio, quae capite octavo continetur, vera esse non potest, propterea

quod Pisistratus cum Solone expeditionis dux ibi dicitur. Quamquam enim definire non possumus, quo anno Salamis recuperata sit ab Atheniensibus, certe ante Solonem archontem factum esse videtur. Pisistratum autem, qui teste Thucydide (VI, 54 *Πεισιστράτου γὰρ γηρχιοῦ τελευτήσαντος*) *γηραιός* anno 527 mortuus est, (cf. Clint. Fast. Hellen. ad illum annum) circa annum 600 natum esse statuamus necesse est. Ad hunc nodum expediendum sunt qui velint eum Pisistratum, qui hic commemoratur, non tyrannum, sed ejus avum fuisse, quam opinionem eam ob causam parum valere debere existimo, quia scriptor noster, qui aliis hujus vitae locis, ubi Pisistrati mentionem facit, semper tyrannum intelligit, si hoc loco de cognomini cogitasset, certe accuratius eum indicasset. Sed nunc comparemus cum Plutarchi narratione ea, quae alii scriptores de bello inter Megarenses et Athenienses gesto memoriae produnt. Eandem narrationem, quam caput octavum Plutarchi continet, referunt Justinus II, 8 et Frontinus, Strateg. IV, 7, paucis tantum mutatis. Ipsa Justini verba dabo: „interea Megarenses memores illati Atheniensibus belli et deserti, ne frustra arma movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri naves conscendunt. Qua re cognita dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis locat, jussis matronis solito clamore ac strepitu etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare: egressosque navibus Megarenses inopinantes aggressus delevit ac protinus classe captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum praeberent, Megara contendit. Illi cum et navium formam et petitam

praedam cognoscerent, obvii ad portum procedunt, quibus caesis Pisistratus paulum a capienda urbe abfuit." Prorsus eodem modo sed brevius tantum narrat Frontinus l.l. Cf. etiam Ael. Var. Hist. VII, 19. Vides igitur hos scriptores eo a Plutarcho differre, quod dolum, quem hic Soloni tribuit, adhibitum esse a Pisistrato in expeditione, cui solus praeesset, contendunt. Inde sequi videtur post Solonis expeditionem rursus bellum exortum esse, ad quod gerendum Pisistratus dux constitutus sit. Quae conjectura stabilitur et Plutarchi ipsius verbis in cap. 22: *ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νίσαιαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις*, ex Salamine expulsi sunt iterum, i. e. postquam Solon aliquot annis ante insulam iis restituerat, et loco ex Herodoto I, 59: *πρότερον εὐδοκιμήσας* (sc. *ὁ Πεισίστρατος*) *ἐν τῇ πρὸς Μεγαρέας γενομένῃ στρατηγίῃ, Νίσαιάν τε ἑλὼν καὶ ἄλλα ἀποδεξάμενος μεγάλα ἔργα* [1]). Plutarchus igitur duas, unam Solonis, alteram Pisistrati, expeditiones non bene distinxisse videtur, quam ob causam fides ei haberi non potest, sed audiendus est Justinus, qui duas diversas expeditiones fuisse statuit.

Cap. VIII, 9. *παρακινητικῶς ἔχειν αὐτόν.* Apud Reiskium haec verba minus accurate versa esse video: „esse eum furore correptum," quum significent, „ad furorem s. insaniam inclinare." Adverbia enim in *ικῶς* exeuntia cum verbo *ἔχειν* conjuncta apud Graeculos idem significant, quod apud

---

[1]) Errare igitur existimo Baehr ad hunc Herodoti locum sic annotantem: „Pertinet hoc imprimis ad expeditionem de recuperanda Salamine, quam Megarenses tenebant, susceptam, in qua praeter Solonem Pisistrati etiam fit mentio apud Plutarch. Vit. Solon. cap. 8."

Veteres verba desiderativa, quae exitum habent in -είω et -ιῶ(ά), ut γελασείω, πολεμησείω, ὀψείω, ἀπαλλαξείω, κλαυσιῶ, ὠνητιῶ, στρατηγιῶ, cett. Docet nos hunc usum Moeris Atticista: ἀπαλλαξείοντες, Ἀττικῶς· ἀπαλλακτικῶς ἔχοντες, Ἑλληνικῶς, ubi Piersonus annotat: „his verbis explicandis apud grammaticos inserviunt ἀπαλλακτικῶς ἔχειν, γελαστικῶς ἔχειν, ὀπτικῶς ἔχειν, κνηστικῶς ἔχειν similiaque." Verba ita conjuncta eo sensu usurpari optime intelligi potest, si duos locos Thucydidis et Plutarchi comparamus: Thuc. VIII, 56 ὁ δ' Ἀλκιβιάδης, ἐπειδὴ ἑώρα ἐκεῖνον καὶ ὣς οὐ ξ υ μ β α σ ε ί ο ν τ α, Plut. Flamin. cap. 5 ἐπεὶ δὲ καὶ Φιλίππῳ δοκοῦντι σ υ μ β α-τ ι κ ῶ ς ἔ χ ε ι ν.

Ib. 13. ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε. Plutarchus hic diserte narrat Solonem elegiam cecinisse, quod contra hoc testimonium et multa alia (Dem. de Falsa Legatione p. 420 τὸν ἴδιον κίνδυνον ὑποθεὶς ἐλεγεῖα ποιήσας ᾖ δ ε, Polyaen. Strateg. I, 20 προελθὼν εἰς ἀγορὰν ἐλεγεῖα ᾖ δ ε, Aristides II, p. 361 τὰ μὲν εἰς Μεγχρέας ἔχοντα ᾆ σ α ι λέγεται) fieri solitum esse negat Bernhardy, Grundriss der Griech. Litteratur, I, p. 469 his verbis: „wenn man ferner an eine musikalische Begleitung der Elegie gedacht hat, so gestattete diese Dichtung nur einfache Recitation, höchstens vertrug sich ihr Ton mit einem Präludium oder Nachspiel der Flöte." Haec autem sententia aperte refutari mihi videtur versibus Theognidis 241—243:

καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες
εὐκόσμως ἐρατοὶ καλά τε καὶ λιγέα
ᾆ σ ο ν τ α ι

et 251, 252:

πᾶσι γάρ, οἷσι μέμηλε, καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδὴ
ἔσσῃ ὁμῶς, ὄφρ' ἂν ᾖ γῆ τε καὶ ἠέλιος.

Quum igitur tot adsint testimonia, nihil obstat quominus etiam nostram elegiam a Solone cantatam esse putemus. Unum tantum testimonium cum Bernhardy facit: Diog. Laërt. I, 46 ἔνθα τοῖς Ἀθηναίοις ἀνέγνω διὰ κήρυκος τὰ συντείνοντα περὶ Σαλαμῖνος ἐλεγεῖα, quod ita explicat Bernhardy, p. 514: „die Elegie war durch einen Mimus eingeführt, aber die Lesung und Verbreitung des Gedichts entschied den Erfolg.“ Quum vero Diogenes ab omnibus ceteris discrepet, potius errorem ejus statuendum puto, in quem eo facilius incidere poterat vocabulo κήρυξ deceptus, quem elegiam cantantem sibi fingere non poterat. Ipsa etiam elegiae verba argumento sunt Diogenem non vera tradere, αὐτὸς κήρυξ ἦλθον, tale exordium non nisi ab ipso Solone pronuntiatum esse potest. Quam ob causam Plutarcho cum ceteris omnibus consentienti fidem habendam esse censeo.

Ib. 14. αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος.

Obiter emenda κήρυξ, nam ex innumerabilibus poëtarum locis constat υ productum esse. Cur Sintenis, qui in apparatu critico annotat: „scribebatur κήρυξ“, tamen κῆρυξ dederit, equidem non intelligo.

Ib. 25. ἔπεμψεν ἄνδρα πιστὸν εἰς Σαλαμῖνα — κελεύοντα τοὺς Μεγαρεῖς κ. τ. λ. κελεύοντα, quod vitiosum est, duplici modo corrigi potest, quia Graeci solebant dicere ἔπεμψεν ἄνδρα

κελεύσοντα aut κελεύων. Praestat hoc loco κελεύσοντα, quod jam a Reiskio propositum video.

Ib. 26. τοὺς Μεγαρεῖς. Corrigendum est τοὺς Μεγαρέας, nam verborum in -εύς exeuntium accusativus pluralis numeri contrahi non solet, nisi in iis, in quibus vocalis ultimam syllabam praecedit, quorum omnes casus formam contractam habent. Hac de re disputat Guilielmus Dindorfius et nubem exemplorum affert in praefatione ad Demosthenis editionem Lipsiensem, pag. XXVIII. Rectam formam dedit Sintenis cap. 9, 28 et cap. 10, 15, pravam cap. 9, 14 et 17, cap. 10, 19.

Ib. 28. ὡς δὲ πεισθέντες οἱ Μεγαρεῖς ἄνδρας ἐξέπεμψαν ἐν τῷ πλοίῳ καὶ κατεῖδεν ὁ Σόλων τὸ πλοῖον ἐλαυνόμενον ἀπὸ τῆς νήσου. In his verbis mendum latet, ni fallor. Quid enim in proxime praecedentibus narravit Plutarchus? Quum Solon in promontorio Coliade mulieres offendisset sacra Cereri facientes, hominem fidum, qui se transfugam esse simularet, Salaminem misit, moniturum, si primarias Atheniensium mulieres comprehendere vellent, secum quam celerrime ad promontorium Coliadem navigarent. Deinde sequitur: ὡς δὲ πεισθέντες οἱ Μεγαρεῖς ἄνδρας ἐξέπεμψαν ἐν τῷ πλοίῳ, quasi jam navis Megarensium commemorata esset. Nam de Solonis navi, de qua sola hoc capite mentio facta est, cogitare absurdum est: quis enim eum, qui ad Megarenses transfugerit, ipsorum Atheniensium navi ad simulatam fugam usum esse serio putaverit? Statuendum potius erit eum in scapha aut lembo Salaminem advenisse. Quod

si verum est, vocabulum τῷ utique ejiciendum est. Recte autem positus est articulus in sequentibus: καὶ κατεῖδεν ὁ Σόλων τὸ πλοῖον ἐλαυνόμενον.

Ib. 38. ὥστε μηδένα διαφυγεῖν. Haec verba non bene cum praecedentibus cohaerere videntur. Dixit auctor noster: „Megarenses aspectu decepti, quum navem appulissent, certatim velut feminas capturi se effuderunt" et statim sequitur: „ita nemo effugit, sed omnes interfecti sunt." Excidisse puto nonnulla verba hujus fere sententiae: Athenienses vero statim armis, quae celaverant, expromptis impetum in Megarenses nihil tale expectantes fecerunt, atque ita nemo eorum effugit, cett. cf. Polyaen. Strateg. I, 20: οἱ δὲ, σπασάμενοι τὰ ἐγχειρίδια, μάλα δὴ ἀντὶ γυναικῶν ἄνδρες ἐφάνησαν, τοὺς πολεμίους ἔκτεινον, τῶν νεῶν ἐπέβησαν, τῆς Σαλαμῖνος ἐκράτησαν.

Cap. IX, 12. ὑφορμίσασθαι τῇ Σαλαμῖνι κατὰ χηλήν τινα πρὸς τὴν Εὔβοιαν ἀποβλέπουσαν. Εὔβοιαν ineptissimum esse rectissime vidit Sintenis. Nullo modo excogitare possumus promontorium in insula Salamine ita situm, ut Euboeae objectum sit. Quod quum etiam Plutarchum haud ignorasse censeam, errorem in textum irrepsisse puto imperito scribae imputandum. Cur Sintenis, qui in annotatione critica scribit: „Εὔβοιαν ineptissimum est, scribe Νίσαιαν" emendationem ab ipso propositam non receperit in textum, non assequor. Certe lectio Νίσαιαν (ἡ δὲ Νίσαια ἐπίνειόν ἐστι τῶν Μεγάρων, Strab. 9, p. 391) sententiae aptissima est. Westermannus in editione sua vitae Solonis, quamquam

lectionem Sintenisii non omnino rejiciens, Μινώαν commendavit, collato Strab. 9, p. 391 *μετὰ δὲ τὰς Σκειρωνίδας πέτρας ἄκρα πρόκειται Μινώα, ποιοῦσα τὸν ἐν τῇ Νισαίᾳ λιμένα*, quae conjectura eo magis probanda videtur, quod vocabulum Μινώα, quod paucis tantum notum erat, facilius interire potuit quam Νίσαια, nomen nobilissimi illius portus urbis Megarae.

Ib. 16. *κατασκεψομένην τῶν πολεμίων*. Locus, quemadmodum nunc legitur, sanus esse non potest, nam (quod ita notum est ut commemorare paene dubitem) verborum cum praepositione *κατα* compositorum ea tantum cum genitivo conjunguntur, in quibus praepositio *κατα* habet vim nocendi, imprimis verba accusandi et condemnandi, ut *καταγελῶ, καταβοῶ, κατηγορῶ, καταψηφίζομαι, καταγιγνώσκω* similiaque. Ea autem significatio a nostro loco prorsus abhorret. Verum mihi repperisse videtur Bryanus, qui, duas tantum literas inserens, ita scribit: *κατασκεψομένην τ ὰ τῶν πολεμίων*: ad speculandum quid hostes agerent. Optimam Bryani emendationem cognovi ex editione Sintenisii, qui tamen ipse vulgatam retinet. Quae quomodo defendi possit, mihi saltem non liquet. Eodem modo *κατασκοπῶ* cum accusativo conjunctum est apud Polybium X, 32, 2: *κατασκεψόμενον τοὺς τόπους*.

Ib. 23. *ναῦς γάρ τις Ἀττικὴ προσέπλει σιωπῇ τὸ πρῶτον, εἶτα κραυγῇ καὶ ἀλαλαγμῷ προσφερομένων εἷς ἀνὴρ ἔνοπλος ἐξαλλόμενος μετὰ βοῆς ἔθει πρὸς ἄκρον τὸ Σκιράδιον ἐκ γῆς προσφερομένοις*. Cobetus in Mnem. Nov. Ser. Vol. VI p. 133; „Lege

ναῦς τις προσπλεῖ pro *προσέπλει*, et *μετὰ βοῆς θεῖ* pro *ἔθει*; nam fiebant haec quotannis spectavitque ipse Plutarchus." Ejusdem emendationis nondum hac observatione lecta mihi jam in mentem venerat. Imperfectum ferendum tantum esset, si Plutarchi aetate ludicrum illud in desuetudinem abiisset. Recte Coraës interpretatus est: *τὰ παρ' Ἀθηναίοις τελούμενα εἰς ἀνάμνησιν τῆς μάχης ἐκείνης.* Sintenisio post *Σκιράδιον* nonnulla excidisse putanti assentior, quia, quemadmodum nunc locus legitur, dativus *προσφερομένοις* unde pendeat non habet. Persuasum mihi est non posse fieri ut ipsa Plutarchi verba restituantur: lacunam ita tantum explere possumus, ut sensus probabilis oriatur. Quodsi post *Σκιράδιον* inseris *ἐναντίον τοῖς* aut simile quid, omnia ordine procedunt.

Cap. X, 7.

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Est pervulgata apud Veteres opinio alterum versum a Solone *ἐν νεῶν καταλόγῳ* insertum esse, quo Atheniensibus insulam Salaminem vindicaret. Idem narrat Diogenes Laërtius I, 48, sed de Lacedaemoniorem judicio, cujus Plutarchus facit mentionem, silet. Strabo IX p. 394 refert fuisse qui fraudem versus inserti Pisistrato tribuerent, ut Homerum produceret testem insulam antiquitus Atheniensium fuisse. Addit Megarenses in suam gratiam *ἀντιπαρῳδῆσαι οὕτως·*

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας, ἔκ τε Πολίχνης
ἔκ τ' Αἰγειρούσσης Νισαίης τε Τριπόδων τε·

ἅ ἐστι χωρία Μεγαρικά.

Eustathius ad Iliad. *β*, 557 sua a Strabone mutuatus est, quod ipse his verbis declarat: *ὡς ὁ γεωγράφος ἱστορεῖ.* Quinctilianus V, 11, 40 indicat hunc versum non in omnibus editionibus reperiri. Quid in his verum sit, equidem statuere non ausim. Testimonia certe leviora sunt, quam ut Solonis fraudem liquido constare affirmem.

Ib. 11. *Ἀθήνῃσι.* Negligenter *ι* subscriptum additum est; vero scriptura est *Ἀθήνησι*, ut *Ὀλυμπίασι, Θήβησι, Δεκελείασι, Πλαταιᾶσι, θύρασι.*

Ib. 13. *καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίον τῶν Φιλαϊδῶν ἔχουσιν, ὅθεν ἦν Πεισίστρατος.* Parum accurate Pisistratus ex demo Philaïdarum esse dicitur, quia demos non nisi aliquot annis post Pisistrati mortem a Clisthene constitutos esse constat. Ita igitur locus accipiendus esse videtur, ut Pisistratum a gente Philaïdarum, quae a Philaeo originem duceret, oriundum intelligamus. Philaeus, qui a Plutarcho et Herodoto (VI, 35 *Φιλαίου τοῦ Αἴαντος παιδός*) filius Ajacis vocatur, apud Pausaniam (I, 35) ejus nepos esse dicitur: *Φίλαιον δὲ τὸν Εὐρυσάκους τοῦ Αἴαντος.* A Pherecyde apud Marcellinum in vita Thucydidis § 3 filius Ajacis appellatur *Φιλαίας.*

Ib. 17. *θάπτουσι δὲ Μεγαρεῖς πρὸς ἕω τοὺς νεκροὺς στρέφοντες, Ἀθηναῖοι δὲ πρὸς ἑσπέραν.* Quod ad morem sepeliendi apud Athenienses usitatum attinet cum Plutarcho consentit Aelianus Var. Hist. V, 14 *νόμος Ἀττικὸς θάπτειν πρὸς δυσμὰς βλέποντας* et VII, 19 *ἀρχαίας γὰρ θήκας ἀνοίξας ἀπέδειξε πάντας Ἀθηναίους πρὸς δύσιν κειμένους κατὰ τὸ πατρῷον αὐτοῖς ἔθος.*

Diog. Laërt. I. 48 contrarium narrat: ἀνασκάψας τινὰς τάφους ἔδειξε τοὺς νεκροὺς πρὸς ἀνατολὰς ἐστραμμένους, ὡς ἦν ἔθος θάπτειν Ἀθηναίοις.

Cap. XI. Plutarchus hoc capite agit de bello sacro contra Cirrhaeos. Solon, qui bello contra Megarenses feliciter confecto magnam gloriam sibi comparaverat, in majore etiam existimatione apud omnes Graecos esse coepit, quum ejus consilio ab Amphictyonibus bellum decerneretur contra Cirrhaeos, qui Apollini Delphico magnam injuriam inferebant, tributum exigentes ab omnibus, qui oraculum adire volebant (cf. Strab. IX p. 418). Quod hic narrat auctor noster, Solonis consilio bellum Cirrhaeis indictum esse, sine dubio sumsit ex Aeschinis oratione κατὰ Κτησιφῶντος p. 108: οἱ Ἀμφικτύονες ἐψηφίσαντο Σόλωνος εἰπόντος Ἀθηναίου τὴν γνώμην ἐπιστρατεύειν ἐπὶ τοὺς ἐναγεῖς. Hoc inde conjicere licet, quod ipse in fine capitis Aeschinem nominat. Ducem belli ex Delphicis commentariis (τὰ Δελφῶν ὑπομνήματα) non Solonem, quod Hermippus Euanthem Samium tradere dicit, sed Alcmaeonem fuisse refert. Reliqui, qui de hoc bello scripserunt auctores, Clisthenem, Sicyoniorum tyrannum, expeditioni praefuisse memoriae produnt, cf. Paus. X, 37, p. 894 πολεμεῖν οὖν πρὸς τοὺς Κιῤῥαίους ἔδοξεν Ἀμφικτύοσι, καὶ Κλεισθένην τε Σικυωνίων τυραννοῦντα προεστήσαντο ἡγεμόνα εἶναι καὶ Σόλωνα ἐπηγάγοντο συμβουλεύειν, cf. etiam Polyaen. Strateg. Lib. III, 5 et Front. Strateg. III, 7, 6. Discrepantes sententiae ita inter se componi possunt, ut Atheniensium copiis Alcmaeonem praefuisse ponamus, reliquorum Graecorum Clisthenem, quem Solon consilio adjuvaret. Quo

anno bellum exarserit, pro certo affirmari nequit; id solum constare videtur, per decem annos bellum gestum esse: Athen. XIII, p. 560 c, *καὶ ὁ Κρισαϊκὸς πόλεμος ὀνομαζόμενος, ὥς φησι Καλλισθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου, ὅτε Κιῤῥαῖοι πρὸς Φωκεῖς* (leg. *Φωκέας*) *ἐπολέμησαν, δεκαετὴς ἦν, ἁρπασάντων Κιῤῥαίων τὴν Πελάγοντος τοῦ Φωκέως θυγατέρα Μεγιστὼ καὶ τὰς Ἀργείων θυγατέρας ἐπανιούσας ἐκ τοῦ πυθικοῦ ἱεροῦ· δεκάτῳ δὲ ἔτει ἑάλω καὶ ἡ Κίῤῥα.* E Scholiasta ad Pindarum in Proleg. Pyth. comperimus Cirrham captam esse, quum Simonides vel Simon Athenis archon esset (anno 591), eos autem, qui superessent, bellum duxisse atque sexto demum anno superatos esse, Athenis Damasia archonte (anno 586). Quodsi Callisthenes expugnationem urbis respexit, bellum initium cepit anno 600, sin vero deditionem eorum, qui post captam urbem bellum continuaverunt, intellectam voluit, (quod mihi quidem magis placet) quinque annis post bellum exarsisse putandum est. cf. Clint. Fast. Hellen. Append. I de Pythiis.

Cap. XII, 7. *Μεγακλῆς καὶ οἱ συνάρχοντες.* Plutarchus hoc loco archontes commemorans consentit cum Thucydide I, 126: *χρόνου δὲ ἐπιγιγνομένου οἱ Ἀθηναῖοι τρυχόμενοι τῇ προσεδρείᾳ ἀπῆλθον οἱ πολλοί, ἐπιτρέψαντες τοῖς ἐννέα ἄρχουσι τήν φυλακὴν καὶ τὸ πᾶν αὐτοκράτορσι διαθεῖναι, ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσι· τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα ἄρχοντες ἔπρασσον.* Ambo autem discrepant ab Herodoto V, 71: *τούτους ἀνιστέασι μὲν οἱ πρυτάνις τῶν ναυκράρων, οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας.* Multos viros doctos haec inter se conciliare variis modis conatos esse video, sed frustra, ut

mihi videtur. Adhuc sub judice lis est, neque umquam eam componi posse persuasum mihi habeo. Id tantum statuendum esse censeo, Thucydidem in hisce alium atque Herodotum secutum esse auctorem, atque inde diversas natas esse sententias.

Ib. 27. Ἐπιμενίδης ὁ Φαίστιος. Haec verba, ut opinor, nihil aliud significare possunt quam Epimenides, ex urbe Phaesto [1]; Phaestus autem est oppidum in ora meridionali insulae Cretae situm. Exstant vero tria alia testimonia, e quibus apparet Epimenidem non Phaesti, sed Gnosi, in urbe maxima Cretae, natum esse. Diog. Laërt. I, 109: Ἐπιμενίδης, καθά φησι Θεόπομπος καὶ ἄλλοι συχνοί, πατρὸς μὲν ἦν Φαιστίου, οἱ δὲ Δωσιάδου, οἱ δὲ Ἀγησάρκου, Κρὴς τὸ γένος, ἀπὸ Κνωσσοῦ. Paus. I, 14, 4: Ἐπιμενίδης Κνώσιος — Θαλῆς δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος τὴν νόσον παύσας οὔτε ἄλλως προσήκων οὔτε πόλεως ἦν Ἐπιμενίδῃ τῆς αὐτῆς· ἀλλ' ὁ μὲν Κνώσιος, Θαλῆτα δὲ εἶναί φησι Γορτύνιον Πολύμναστος Κολοφώνιος ἔπη Λακεδαιμονίοις ἐς αὐτὸν ποιήσας. Plin. Hist. Nat. VII, 48: „Theopompus Epimenidi Gnosio CLVII tribuit annos." His locis confirmatur Epimenidem Gnosi natum esse. Praeterea ex testimonio Diogenis, qui sua sumsit a Theopompo, gravissimo teste, apparet patri ejus nomen fuisse Phaestio, unde errorem Plutarchi (vel librarii, quod mihi verisimilius videtur) sic correxerim: Ἐπιμενίδης ὁ Φαιστίου. Plutarchus primum patriam Epimenidis indicavit, ἧκεν ἐκ Κρήτης, omisso

[1]) Reiskius vertit: „Epimenides Phaestius" et Xylander annotat: „erat autem Epimenides Phaesto, Cretae oppido, ortus."

nomine urbis, deinde solito Graecorum more adjecit nomen patris: ὁ Φαιστίου.

Quo anno Epimenides Athenas venerit, accurate definiri nequit. Dissentiunt enim inter se duo testes. Suidas eum Olympiade quadragesima quarta (604 a. Chr. n.) urbem lustrasse scribit: Ἐπιμενίδης — οὗτος ἐκάθηρε τὰς Ἀθήνας τοῦ Κυλωνίου (leg. Κυλωνείου) ἄγους κατὰ τὴν μδ' ὀλυμπιάδα, Diogenes Laërtius I, 110 Olympiade quadragesima sexta lustrationem institutam esse refert: Ἀθηναίοις λοιμῷ κατεχομένοις ἔχρησεν ἡ Πυθία καθῆραι τὴν πόλιν· οἱ δὲ πέμπουσι ναῦν τε καὶ Νικίαν τὸν Νικηράτου εἰς Κρήτην καλοῦντες τὸν Ἐπιμενίδην καὶ ὃς ἐλθὼν ὀλυμπιάδι τεσσαρακοστῇ ἕκτῃ (596 a. Chr. n.) ἐκάθηρεν αὐτῶν τὴν πόλιν. Magis inclino ut Diogeni hac in re fidem habeam, primum quia Suidas eum circa Ol. tricesimam (660 a. Chr. n.) natum esse (γέγονε δὲ ἐπὶ τῆς λ' ὀλυμπιάδος) et senem Athenas venisse memorat, (ἐκάθηρε γοῦν τὰς Ἀθήνας γηραιὸς ὤν) quod multo melius dicitur de eo, qui sexagenario est major, deinde quia ex verbis Plutarchi in hoc ipso capite προϋπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας confici posse videtur, ejus adventum haud multo ante Solonem archontem (594) accidisse. Cf. Clint. Fast. Hell. anno 596.

Ib. 32. ἐλθὼν δὲ καὶ τῷ Σόλωνι χρησάμενος φίλῳ πολλὰ προσυπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας. προσυπειργάσατο sic tantum ferri posset, si legibus Solonis jam conditis et evulgatis Epimenides sua addidisset; quum vero ex sequenti προωδοποίησεν colligi possit Solonem, quo tempore Epimenides Athenis esset, leges suas nondum scrip-

sisse, *προσυπειργάσατο* in *προϋπειργάσατο* mutandum est (jam a Reiskio propositum), quod significat: multa Solonem nondum legibus editis adjuvit multaque ei subministravit, quibus ei quasi praemuniret viam.

Cap. XIII, 2. *τὴν παλαιὰν αὖθις στάσιν ὑπὲρ τῆς πολιτείας ἐστασίαζον.* Malim cum Reiskio articulum *τὴν* post *στάσιν* iterare, quia verba *ὑπὲρ τῆς πολιτείας* melius cum *τὴν στάσιν* quam cum *ἐστασίαζον* conjunguntur. Ceterum observa *ὑπέρ* hic pro *περί* positum esse, qua significatione saepissime usurpatur post verba *λέγειν, γράφειν, διελθεῖν* similiaque.

Ib. 4. *τοσαῦτα μέρη τῆς πόλεως διαστάσης.* „Necesse puto *εἰς* praefigi, ut quidam codd. habent," Henr. Stephanus observat, quem tamen Sintenis non est secutus. Quemadmodum Latine dicitur „distrahi in partes," sic Graece *δίστασθαι εἰς μέρη*; praepositio omnino necessaria est, cf. Demosth. *κατὰ Φιλίππου Δ'* p. 132: *τοιγάρτοι διεστηκότων εἰς δύο ταῦτα τῶν ἐν ταῖς πόλεσι, τῶν μὲν εἰς τὸ μήτε ἄρχειν βίᾳ βούλεσθαι μηδενός — τῶν δ' εἰς τὸ ἄρχειν μὲν τῶν πολιτῶν ἐπιθυμεῖν κ. τ. λ.* Thuc. I, 15 *μάλιστα δὲ ἐς τὸν πάλαι ποτὲ γενόμενον πόλεμον Χαλκιδέων καὶ Ἐρετριῶν καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ἐς ξυμμαχίαν ἑκατέρων διέστη.*

Ib. 13. *ἢ γὰρ ἐγεώργουν ἐκείνοις* (sc. *οἱ πένητες τοῖς πλουσίοις*) *ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες, ἑκτημόριοι προσαγορευόμενοι.* „Duo in his vitia sunt: alterum librorum *ἑκτημόριοι* pro *ἑκτήμοροι* (ut *γεώμοροι*), alterum Plutarchi qui pauperibus pro s e x t a p a r t e q u i n q u e p a r t e s fructuum tribuit. Melius anti-

quarii apud Schol. Platonis ad Euthyphr. pag. 3 ἑκτήμοροι ἐπεὶ τῷ ἕκτῳ μέρει τῶν καρπῶν εἰργάζοντο τὴν γῆν. Eundem quem Plutarchus errorem erravit Hesychius v. Ἐπίμορτος: — ἑκτήμοροι οἱ τὸ ἕκτον τελοῦντες. Non diu sic pauperes mansissent." Ita V. Cl. Cobetus, Mnem. Nov. Ser. Vol. VI, p. 133, cui totus assentior, quod attinet ad errorem librariis imputatum, sed nolo cum eo alterum vitium Plutarcho tribuere, quod me judice ab iisdem librariis in nostrum locum invectum levi mutatione tolli potest. Si Plutarchus dicere voluisset pauperes quinque partes sibi retinuisse et sextam tantum partem dominis pependisse, non usus esset verbo ἕκτα, sed τὸ ἕκτον dicere debuerat, quemadmodum Hesychius locutus est. Neque articulum abesse licet et pluralis numerus vitiosus est. Una autem litera repetita Plutarcho suum reddidisse mihi videor: ἐγεώργουν ἐκείνοις ε' ἕκτα, i. e. πέντε ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες. Scio equidem elegantiorem in modum Graecos dicere solitos τὰ πέντε μέρη, quod significat τῶν ἓξ μερῶν τὰ πέντε aut τῶν ἓξ τὰ πέντε μέρη, at si τὸ ἕκτον, ut apud Hesychium, recte se habet, quod nemo dubitat, eodem modo dici posse existimo δύο ἕκτα, τρία ἕκτα atque ita deinceps. Quod si vere disputatum est, Plutarchus nunc omni culpa liberatus idem quod Scholiastes Platonis tradit.

Ib. 22. τοὺς ὑπερημέρους. Quid significet vocabulum ὑπερήμερος Harpocration ita exponit v. ὑπερήμεροι· οἱ δίκην ὀφείλοντες ὁποιανοῦν, καὶ τὰ ἐπιτίμια τοῖς ἑλοῦσι μὴ ἀποδιδόντες ἐν ταῖς τακταῖς προθεσμίαις ὑπερήμεροι ἐκαλοῦντο καὶ τὸ πρᾶγμα ὑπερημερία, unde in lexicis explicatum est: ii qui intra

diem a judicibus vel in judicio praestitutam debitum non solvunt. Attamen ex nostro loco apparet omnino dici de debitore, qui creditori ad diem praestitutam solvendo non est, nulla de judicio facta mentione; cf. Dem. *πρὸς Ἀπατούριον* pag. 894, 6 *καὶ οἱ χρῆσται κατήπειγον αὐτὸν ἀπαιτοῦντες καὶ ἐνεβάτευον εἰς τὴν ναῦν, εἰληφότες τῇ ὑπερημερίᾳ.*

Cap. XIV, 6. *Φανίας ὁ Λέσβιος.* Idem scriptor ultimo capite vitae Solonis laudatur adjecto nomine urbis natalis, *Φανίας ὁ Ἐρέσιος*, natus Eresi, in oppido insulae Lesbi. Suida et Strabone (XIII, p. 618) auctoribus erat discipulus Aristotelis et Theophrasti amicus: vixit igitur Alexandri Magni temporibus. Multorum ejus librorum tituli apud diversos scriptores, praesertim apud Athenaeum, memorantur, ex quibus colligere licet eum potissimum historiam tractasse. Athenaeus VIII, p. 333 a, operis a Phania compositi, cui titulus esset *περὶ πρυτάνεων Ἐρεσίων*, facit mentionem. Boeckhius in C. I. II. p. 305 opinatur in hoc libro secundum prytanum Eresiorum seriem res maxime memorabiles in Attica gestas descriptas fuisse additis archontum Atticorum nominibus, atque inde fluxisse quae Plutarchus Phaniam fontem laudans referat. Hanc Boeckhii sententiam impugnat Muellerus frgm. hist. Graec. II p. 294 dicens minime probabile esse quemquam Theophrasti aetate Atheniensium historiam secundum seriem prytanum Eresiorum adornasse indeque libri petiisse inscriptionem; quare haec duo Phaniae fragmenta, quorum notitiam Plutarcho debemus, deprompta esse censet ex opere historico, cujus titulum nunc ignoremus. Quae controversia quamquam dijudicari nequit, tamen

Muelleri conjectura nihil opus esse mihi videtur, quum constet Hellanicum Lesbium eodem modo historiam inde ab antiquissimis temporibus comprehendisse libro *περὶ ἱερειῶν Ἥρας* inscripto, quo res graviores secundum seriem sacerdotum Junonis Argivae continerentur. Etiam conjicere possis Plutarchum sua sumsisse e Phaniae libro *περὶ ποιητῶν*, quem commemorat Athen. VIII p. 352 c, *Φανίας ὁ περιπατητικὸς ἐν δευτέρῳ περὶ ποιητῶν*. Phanias quanti a Plutarcho aestimetur, cognoscimus e vita Themistoclis, cap. 13, ubi eum appellat *ἄνδρα φιλόσοφον καὶ γραμμάτων οὐκ ἄπειρον*.

Ib. 11. *ἡρέθη δὲ ἄρχων μετὰ Φιλόμβροτον ὁμοῦ καὶ διαλλακτὴς καὶ νομοθέτης*. Solon archon creatus est post Philombrotum simul ut concordiam inter factiones constitueret novasque leges ferret. Ex aliis scriptoribus Solonem anno 594 leges suas tulisse statuere licet: Diog. Laërt. I, 62 *ἤκμαζε μὲν οὖν περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, ἧς τῷ τρίτῳ ἔτει ἦρξεν Ἀθηναίοις, καθά φησι Σωσικράτης· ὅτε καὶ τίθησι τοὺς νόμους*, Clem. Alex. Strom. I, p. 302 *ἤκμασεν οὖν ὁ Σόλων κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα*. Eusebius in Chronico ejusdem olympiadis annum secundum tradit. Quod apud Suidam legitur, una tantum olympiade ab his testimoniis differt: *Σόλων Ἐξηκεστίδου Ἀθηναῖος, φιλόσοφος, νομοθέτης καὶ δημαγωγὸς γέγονε [δὲ] ἐπὶ τῆς μζ′ (τεσσαρακοστῆς ἑβδόμης) ὀλυμπιάδος, οἱ δὲ νϛ′ (πεντηκοστῆς ἕκτης)*. Posterior numerus manifesto falsus est, quia eo tempore (circa annum 556) Solonem jam vita decessisse maxime probabile est. Si igitur testimonio Diogenis Laërtii credimus, Solonem anno 594 archontem fuisse statuendum est. Liceat mihi

hac occasione oblata errorem, quem Grote[1]) commisit, notare, scribens Solonem c u m Philombroto archontem creatum esse, quum p o s t Philombrotum scribere deberet. Graeci, si accurate annum, quo quis archon fuerat, definire volunt, semper eodem modo quo hic Plutarchus loquuntur, cf. Argumentum I ad Aristophanis Ranas: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ 'Αντιγένη* et Arg. III *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, τοῦ μετὰ 'Αντιγένη*; Plut. Sol. cap. 32: *ἐφ' 'Ηγεστράτου δὲ Σόλωνα φησὶν ὁ Φανίας ἀποθανεῖν τοῦ μετὰ Κωμίαν ἄρξαντος·* Harpocr. v. *στρατεία· οἱ δ' ἔφηβοι ἐγγραφόμενοι πρότερον μὲν εἰς λελευκωμένα γραμματεῖα ἐνεγράφοντο, καὶ ἐπεγράφοντο αὐτοῖς ὅ τε ἄρχων ἐφ' οὗ ἐπεγράφησαν* (leg. *ἐνεγράφησαν*) *καὶ ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπιδεδημηκώς* (?) Primum ipsum nomen archontis eponymi ponitur, deinde additur nomen archontis superioris anni. Possis conjicere Grote legere velle *μετὰ Φιλομβρότου*, sed quid opus esset addere nomen unius e collegis, hominis prorsus ignoti?

Ib. 21. *πολλοὶ δὲ καὶ τῶν διὰ μέσου πολιτῶν τὴν ὑπὸ λόγου καὶ νόμου μεταβολὴν ὁρῶντες ἐργώδη καὶ χαλεπὴν οὖσαν οὐκ ἔ φ υ γ ο ν ἕνα τὸν δικαιότατον καὶ φρονιμώτατον ἐπιστῆσαι τοῖς πράγμασιν.* Libri, qui omnes *ἔφυγον* habent, hoc loco contrario quam cap. 6 (p. 14) vitio laborare videntur. Requiritur enim imperfectum, quemadmodum in eodem capite recte scriptum est *ἀρέσκειν*, quod hic est infinitivus imper-

---

[1]) Grote, history of Greece, III, p. 142: „and they therefore chose him, nominally as archon along with Philombrotus, but with power in substance dictatorial."

fecti, *προσέκειντο*, quod etiam quasi imperfectum est, et *ἐκάκιζον*. Restituendum igitur *ἔφευγον*.

Ib. 29. *εἰ διὰ τοὔνομα δυσωπεῖται τὴν μοναρχίαν, ὥσπερ οὐκ ἀρετῇ τοῦ λαβόντος εὐθὺς ἂν βασιλείαν γενομένην.* Vocabulum *μοναρχία* a Plutarcho adhibitum est ea significatione, qua plerumque *τυραννίς* usurpatur. Rectius Aristoteles statuit vocabulum *μοναρχίαν* complecti et *βασιλείαν* et *τυραννίδα*, priorem autem legibus esse coërcitam, in altera vero libidinem principis pro lege haberi, Arist. rhet. I, 8, 4 *μοναρχία δ' ἐστὶ κατὰ τοὔνομα, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐστι, τούτων δὲ ἡ μὲν κατὰ τάξιν τινὰ βασιλεία, ἡ δ' ἀόριστος τυραννίς*; Polyb. II, 47, 3 *καὶ τοῦ Κλεομένους τό τε πάτριον πολίτευμα καταλύσαντος καὶ τὴν ἔννομον βασιλείαν εἰς τυραννίδα μεταστήσαντος.*

Ib. 41. *ὅθεν εὔδηλον ὅτι καὶ πρὸ τῆς νομοθεσίας μεγάλην δόξαν εἶχεν.* „Unde liquido apparet Solonem, etiam priusquam leges ferret, in magna existimatione fuisse." Haec verba parum accurate a Plutarcho addita esse mihi videntur. In praecedentibus versibus enim Solon ad Phocum scribit se non pudere, quod tyrannidem sibi oblatam renuerit, quum putaret se majorem inde sibi gloriam comparasse, quam si accepisset. Ex his versibus Plutarchus colligit Solonem, jam antequam archon esset, magna apud cives suos auctoritate fructum esse. Unde vero hoc sequitur? In ipsis enim versibus nihil est, ex quo efficere possis Solonem jam ante leges scriptas ad tyrannidem capessendam incitatum esse. Quod is tantum novisse potest, qui totum caput quartum decimum legerit. *ὅθεν εὔδηλον κ. τ. λ.* igitur recte tantum

dicta sunt, si non ad ipsos Solonis versus, sed ad Plutarchi verba rettuleris. Durius hoc possit videri, sed, nisi ita verba acceperis, perperam a Plutarcho adjecta esse statuendum erit.

Ib. 48. *ἤθελον γάρ κεν κρατήσας κ. τ. λ.* Libri habent *ἤθελεν*, sed ex optima Xylandri emendatione omnes editores praeter Bekkerum *ἤθελον* in textum receperunt, quod solum ferri potest, quia sunt verba hominis Solonem deridentis deque se non de Solone loquentis.

Ib. 50. *ἀσκὸς ὕστερον δεδάρθαι κ. τ. λ.* Cum his cf. Ar. Nubb. 440:

τουτὶ τοὐμὸν σῶμ' αὐτοῖσιν
παρέχω τύπτειν, πεινῆν, διψῆν,
αὐχμεῖν, ῥιγῶν, ἀσκὸν δείρειν

et Ar. Eqq. 370:

δερῶ σε θύλακον κλοπῆς,

quod recte scholia explicant *ἐκδερῶ σε, ὥστε ἀπὸ τοῦ σώματός σου θύλακον ποιῆσαι εἰς ὑποδοχὴν κλέμματος;*

Ib. 768:

ἀπολοίμην καὶ διαπρισθείην κατατμηθείην τε λέπαδνα.

Cap. XV, 5. *ἔθετο τοὺς νόμους.* Hic locus ostendit Plutarchum, quamquam sedulo Atticos imitari conatur, eorum loquendi usum parum cognitum habuisse. Apud Atticos enim *νόμον τιθέναι* et *νόμον τίθεσθαι* certa ratione inter se differunt: *νόμον ὁ μὲν νομοθέτης τίθησιν, ὁ δὲ δῆμος τίθεται.* Sic Demosthenes Or. XXII, 30 (p. 602) *ἄξιον τοίνυν, ὦ ἄνδρες*

Ἀθηναῖοι, καὶ τὸν θέντα τὸν νόμον ἐξετάσαι Σόλωνα, καὶ θεάσασθαι ὅσην πρόνοιαν ἐποιεῖτο ἐν ἅπασιν οἷς ἐτίθει νόμοις τῆς πολιτείας, καὶ ὅσῳ περὶ τούτων μᾶλλον ἐσπούδαζεν ἢ περὶ τοῦ πράγματος οὗ τιθείη τὸν νόμον, Xen. Conv. VIII, 39 Σόλων νόμους κρατίστους τῇ πόλει ἔθηκεν (quod reponendum est pro κατέθηκεν, cf. Cob. Nov. Lectt. p. 640); contra Aeschines κατὰ Τιμάρχου pag. 178 ad Athenienses dicit: ἐπιδέξιοι δ' οἶμαι φύντες ἑτέρων μᾶλλον εἰκότως καλλίστους νόμους τίθεσθε. Eodem modo erravit Plutarchus in comparatione Solonis et Poplicolae, cap. 3, ὁ μὲν γὰρ (sc. ὁ Σόλων) ἅμα τῷ θέσθαι τοὺς νόμους, et in septem sap. conv. cap. 7 (ὁ Σόλων) νόμους Ἀθηναίοις θέμενος.

Ib. ἀλλ' ᾗ μὲν ἄριστον ἦν, οὐκ ἐπήγαγεν ἰατρείαν. Homines docti vocabulo ἄριστον offensi, diversos in modos locum sanare conati sunt, pro ἄριστον Wyttenbachio ἀρεστόν, anonymo ἀνεκτόν, Westermanno ἄπιστον corrigentibus. Attamen, quantum ego judicare possum, nodum in scirpo quaesiverunt, ut ajunt, quia vulgata rectissime se habet. Loci enim sensus hic est: eam medicinam, quam unam omnium optimam esse arbitrabatur, non adhibuit, veritus ne, si omnia confunderet, perturbata tota civitate ad eam optima ratione temperandam vires se deficerent. Non proposuit leges, quae sibi optimae viderentur, quia Athenienses eas non accepissent ortaque seditione ipse reipublicae reficiendae impar futurus esset. Illud autem vocabulum ἄριστον Solonis verbis paulo post a Plutarcho laudatis, ὅθεν ὕστερον ἐρωτηθεὶς, εἰ τοὺς ἀρίστους Ἀθηναίοις νόμους ἔγραψεν, „ὧν ἄν," ἔφη, „προσεδέξαντο τοὺς ἀρίστους" confirmatur, ut, quin recte in codicibus scriptum sit, nihil dubii relinquatur.

Ib. 6. *συγχέας παντάπασι καὶ ταράξας τὴν πόλιν ἀσθενέστερος γένηται τοῦ καταστῆσαι πάλιν.* In his verbis versus Solonis trochaico metro compositos delitescere rectissime primus observavit I. Bekkerus, quod tum manifestum erit, si cum Schaefero legeris:

συγχέας ἀπαντάπασι καὶ ταράξας τὴν πόλιν
ἀσθενέστερος γένηται τοῦ καταστῆσαι πάλιν.

Sponte apparet Solonem prima persona scripsisse *γένωμαι* vel *γενοίμην.* Prorsus eodem modo Plutarchus in hoc capite scripsit tertia persona *ὅρους ἀνεῖλε,* quum Solon dedisset *ἀνεῖλον,* cf. Ael. Aristid. 2 p. 397.

Ib. 9. *ἃ δὲ καὶ λέγων ἤλπιζε πειθομένοις καὶ προσάγων ἀνάγκην ὑπομένουσι χρήσασθαι.* Verba *ἐλπίζω, ἀπειλῶ, ὑπισχνοῦμαι, ὄμνυμι* aliaque id genus suapte natura futurum requirunt, igitur scribendum *χρήσεσθαι.* Non esse in codicibus aliud mendorum genus frequentius, quam ut futuris infinitivi aoristi substituantur, neque hac in re libros ulla fide dignos esse, magna copia exemplorum demonstravit V. Cl. Cobetus, Nov. Lectt. p. 164, 365 sq. et 405 sq.

Ib. 20. *τὴν τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν σεισάχθειαν ὀνομάσαντος κ. τ. λ.* Solon (sic narrat Plutarchus in hoc capite) archon constitutus, nihil antiquius habuit quam ut populum aere alieno oppressum liberaret. Primum igitur tulit legem, ut omnia quae tunc essent debita remitterentur, neve posthac debitorum corpora obligarentur. Idem testatur Plutarchus in libello de vitando aere alieno cap. 4: *τί γὰρ ὤνησε Σόλων Ἀθηναίους ἀπαλλάξας τοῦ ἐπὶ τοῖς σώμασιν ὀφείλειν;* Alii autem,

(ita pergit in vita Solonis) inter quos Androtion est, *σεισάχθειαν* non novas tabulas, sed usurarum moderationem fuisse simulque mensuras et pecuniae pretium aucta esse tradunt. Solon enim minam, quae antea septuaginta et trium fuerat, centum drachmarum fecit. Plerique autem Solonem omnes syngraphas abolevisse censent. Nonnulla in his sunt, quae minus recte a Plutarcho exposita esse videantur. Boeckhius primus vidit quomodo Plutarchi verba accipienda sint, cf. oecon. civ. Athen. II, p. 362 et quaest. metrol. p. 114. Quod Plutarchus scribit Solonem minam, quae usque ad id tempus septuaginta tribus drachmis aestimaretur, in posterum ut centum valeret fecisse, verum esse non potest. Hoc modo enim ii tantum, qui minus quam minam deberent, profecissent, quum pretium minae non minueretur. Igitur ita accipiendum erit Solonem instituisse ut, quae antea septuaginta et tres drachmae essent, nunc minam sive centum drachmas valerent, quo facto qui aes alienum contraxissent, in solvendis debitis plus quam quartam partem lucrarentur. Cur Solon hanc potissimum constituerit rationem veteris atque novae monetae, non difficile est explicatu. Nova enim unitas argenti ejusdem fere ponderis erat atque unitas auri, quod confirmatur nummis tum in Graecia tum in Asia effossis. Id igitur fecit Solon, ut drachmae argenteae pondus minueret et ad pondus nummorum aureorum accommodaret. Quod etiam manifestius apparebit, si cum nostro loco comparaverimus psephisma, quod invenitur in Corp. Inscr. Gr. N⁰. 123, § 4: *ἀγέτω δὲ καὶ ἡ μνᾶ ἡ ἐμπορικὴ ΣτεΦανηΦόρου δραχμὰς ἑκατὸν τριάκοντα καὶ ὀκτὼ πρὸς τὰ στάθμια τὰ ἐν τῷ ἀργυροκο-*

πείῳ καὶ πωλείτωσαν πάντες τἆλλα πάντα ταύτῃ τῇ μνᾷ, πλὴν ὅσα πρὸς ἀργύριον διαῤῥήδην εἴρηται πωλεῖν. Ratio τῆς δραχμῆς τῆς ἐμπορικῆς et τῆς στεφανηφόρου δραχμῆς eadem est quam Plutarchus commemorat. Nam $138 : 100 = 100 : 72\frac{32}{69}$. Androtion, quem Plutarchus secutus est, pro $72\frac{32}{69}$ scripsit septuaginta et tres. In verbis ὥστε μηδὲν βλάπτεσθαι τοὺς κομιζομένους manifesto Plutarchus errat, nam revera jacturam fecerunt centesimarum vicenarum et septenarum. τῶν συμβολαίων ἀναίρεσιν ad eos tantum referendam esse Boeckhius aliique censent, qui corpore obligati essent, non ad eos, qui pro agris fundisque emptis pecuniam deberent. Quod si verum est, versus Solonis ὅρους ἀνεῖλον πολλαχῇ πεπηγότας non ad verbum accipienda sunt, sed significare videntur Solonem debitores, quorum fundi oppignerati essent, nova instituta rei nummariae ratione sublevasse, ita ut celerius debita solvere possent.

Ib. 32. οἱ δὲ πλεῖστοι πάντων ὁμοῦ φασὶ τῶν συμβολαίων ἀναίρεσιν γενέσθαι τὴν σεισάχθειαν καὶ τούτοις συνᾴδειν μᾶλλον τὰ ποιήματα. Sintenis in annotatione critica: „συνᾴδει cum Bryano editores praeter Schaeferum.“ Miror quare ipse optimam Bryani emendationem non receperit. Plutarchus primum aliorum sententiam laudat: plerique σεισάχθειαν dissolutionem omnium pactorum fuisse autumant; deinde pergit: atque cum his (sc. scriptoribus) faciunt Solonis carmina, quod Plutarchus ex sua ipsius sententia addit. Necessarius igitur est indicativus. Non intelligo quomodo pronomen τούτοις explicare possis, si infinitivum συνᾴδειν servare velis.

Ib. 34. *τῆς προϋποκειμένες γῆς*. Vocis *προϋποκεῖσθαι* significationem, quae unice huic loco convenit, frustra in lexicis quaesiveris. *ὑποκεῖσθαι* autem quum dicatur de re pignerata, (ut apud Isaeum 6, 33: *οἰκίαν δ' ἐν ἄστει τεττάρων καὶ τετταράκοντα μνῶν ὑποκειμένην*, et apud Harpocrationem v. *ὅρος· τὰ ἐπόντα ταῖς ὑποκειμέναις οἰκίαις καὶ χωρίοις γράμματα δηλοῦντα ὅτι ὑπόκεινται δανειστῇ*) *ἡ προϋποκειμένη γῆ* est praedium quod ante pignori oppositum erat.

Cap. XVI, 11. *Σόλων δὲ τούτου μὲν οὐκ ἐφίκετο τῇ πολιτείᾳ δημοτικὸς ὢν καὶ μέσος, ἐνδεέστερον δὲ τῆς ὑπαρχούσης δυνάμεως οὐδὲν ἔπραξεν ὁρμώμενος ἐκ μόνου τοῦ βούλεσθαι καὶ πιστεύειν αὐτῷ τοὺς πολίτας*. Postrema verba vitio laborare equidem censeo, neque credo fore qui, quemadmodum nunc scripta sint, probabilem ex iis sensum elicere possit. Sed videamus num verborum contextu diligenter examinato reperire possimus, ubi vitium lateat et quomodo tollendum sit. Solonis *σεισάχθεια* neque divitibus neque pauperibus placuerat; illi enim plurimas syngraphas abolitas aegre ferebant, hi autem offendebantur quod Solon non, uti speraverant, agros divisisset neque Lycurgi exemplum secutus omnium fortunas aequales fecisset. Lycurgus autem, (ita judicat Plutarchus) quod ab Hercule oriundus complures annos Lacedaemoniorum rex fuerat et iis, quae optime constituerat, magnam auctoritatem sibi conciliarat, magis id quod sibi proposuerat exsequi valebat, neque, ubi opus erat, a vi abstinuit, quo perficere potuit ut omnes cives pares essent. Solon vero, qui vir erat popularis et modicae fortunae, hoc institutis suis non est assecutus, *ἐνδεέστερον*

δὲ τῆς ὑπαρχούσης δυνάμεως οὐδὲν ἔπραξεν, i. e. nihil fecit, quod potestati, quae ipsi tributa esset, inferius aut non plane congruens esset, quo Plutarchus significare velle videtur Solonem non quemadmodum Lycurgum vim adhibuisse, sed ea tantum, quam ultro sibi cives mandassent, potestate usum esse. Participium ὁρμώμενος et sequentia ad hanc sententiam explicandam addita sunt, sed, ut nunc quidem leguntur, quid sibi velint aut quomodo accipienda sint me prorsus non intelligere ingenue fateor. Lectione βουλεύεσθαι nihil proficimus. Quid igitur? Nonne omnia recte se habent, si particulam καὶ expunxeris? ὁρμώμενος ἐκ μόνου τοῦ βούλεσθαι πιστεύειν αὐτῷ τοὺς πολίτας, i. e. nolebat vim adhibendo efficere ut cives semper timerent ne potestatem excederet, sed id unum cupiebat ut cives sibi confiderent. Ita omnia clara et perspicua esse existimo. Vitii originem si quaeris, conjicere possis scribam non statim duos infinitivos alterum ab altero pendentem intelligentem de suo καὶ inseruisse, quo facto optima loci sententia prorsus obscurata sit.

Cap. XVII, 3. In Draconis legibus μία ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία θάνατος· ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν. In Mnem. Nov. Ser. Vol. VI p. 134 V. Cl. Cobetus multa de auctore ἀργίας δίκης testimonia coacervat ex Polluce, Diogene Laërtio, Herodoto, Lexico Rhetorico Cantabrigiensi petita, in quibus aut Draco aut Solon legis auctor laudatur. Mentionem hujus rei facit etiam Diodorus Siculus I, 77 προσετέτακτο δὲ καὶ πᾶσι τοῖς Αἰγυπτίοις ἀπογράφεσθαι πρὸς τοὺς ἄρχοντας ἀπὸ τίνων ἕκαστος

πορίζεται τὸν βίον· καὶ τὸν ἐν τούτοις ψευσάμενον ἢ πόρον ἄδικον ἐπιτελοῦντα θανάτῳ περιπίπτειν ἦν ἀναγκαῖον. λέγεται δὲ τοῦτον τὸν νόμον ὑπὸ Σόλωνος παραβαλόντος εἰς Αἴγυπτον εἰς τὰς Ἀθήνας μετενεχθῆναι. Omnino assentiendum est V. Cl. Cobeto l.l. „hinc apparet nihil Veteres de ea re certi scire, sed alii ἀκοὴν μαρτυροῦσιν, alii παρακούσματα nobis narrant."

Cap. XVIII, 6. δευτέρους (sc. ἔταξεν ὁ Σόλων) τοὺς ἵππον τρέφειν δυναμένους ἢ μέτρα ποιεῖν τριακόσια. Annuos sumptus ad equum alendum messi annuae trecentorum modiorum aequiparandos esse nemo serio crediderit. Igitur ἢ in καὶ mutandum esse mihi persuasum est, atque sic etiam Boeckhius locum intellexisse videtur in oecon. civ. Athen. I, p. 647: „zur zweiten nahm er diejenigen welche 300 Masse ernteten und ein Pferd ernähren konnten." Eandem sententiam praebet Poll. VIII, 130: οἱ δὲ τὴν ἱππάδα τελοῦντες ἐκ μὲν τοῦ δύνασθαι τρέφειν ἵππους (fortasse legendum ἵππον, i. e. ἵππον πολεμιστήριον) κεκλῆσθαι δοκοῦσιν· ἐποίουν δὲ μέτρα τριακόσια. Quia autem libri ad unum omnes in hac lectione consentiunt, errorem ab ipso Plutarcho commissum esse verisimile est. Dissentio tamen a Boeckhio, ubi l.l. contra omnia testimonia tertiae classis civium censum non ducentorum, sed centum et quinquaginta modiorum fuisse perhibet; unicum enim, quo utitur, argumentum, sumptum ex lege, quae commemoratur apud Demosthenem πρὸς Μακάρτατον p. 1068 non ita firmum est ut omnium auctorum consensum superare possit.

Ib. 14. καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν. Leve vitium

hunc locum inquinare videtur. Verbum *τάσσειν* tantum non semper accusativum cum infinitivo regit; corrigendum igitur censeo *τὰς ἀρχάς*. Eodem modo Plutarchus in vita Solonis locutus est, cap. 10 *οὓς προβουλεύειν ἔταξε τοῦ δήμου*, cap. 22 *καὶ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἔταξεν ἐπισκοπεῖν, ὅθεν ἕκαστος ἔχει τἀπιτήδεια*, cap. 23 *τῷ δ' Ἴσθμια νικήσαντι δραχμὰς ἔταξεν ἑκατὸν δίδοσθαι*, cap. 25 *αὐτὴν μὲν ἔταξε ταύτην ἕνην καὶ νέαν καλεῖσθαι*. Possit quispiam contendere uno et altero loco etiam dativum inveniri et laudare Thuc. III, 22 *καὶ οἱ τριακόσιοι αὐτῶν, οἷς ἐτέτακτο παραβοηθεῖν*, Xen. Cyr. I, 5, 5 *τῶν δ' αὖ χιλίων τούτων ἑκάστῳ ἔταξαν ἐκ τοῦ δήμου τῶν Περσῶν δέκα μὲν πελταστὰς προσελέσθαι*, sed duobus his locis verbum *τάσσειν* non idem significat quod apud Plutarchum. Ubi cum dativo conjunctum est, idem valet quod composita *προστάσσειν* et *ἐπιτάσσειν* et dicitur de eo, quod semel faciendum est, contra apud Plutarchum sensum verbi *τάσσειν* est: constituere, praescribere, et adhibitum est de potestate, quam Solon iis in perpetuum delegat. Hac vero significatione dativum ponere non ausim.

Cap. XIX, 17. *Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε*. Haec Solonis lex ad Cylonis turbas et Alcmaeonidas ejectos referenda esse videtur, cf. cap. 12. Verba *ὑπὸ τῶν βασιλέων* quomodo explicanda sint, mihi non satis exploratum est. Dubitari enim potest utrum Plutarchus intellexerit *τοὺς*

φυλοβασιλέας (quo tamen minus inclino, quia Plutarchus tum ipso verbo *φυλοβασιλεῖς* uti debuerat), qui Ephetarum ad Prytaneum consessui praeessent, (Poll. VIII, 120 *τὸ ἐπὶ Πρυτανείου δικάζει περὶ τῶν ἀποκτεινάντων, κἂν ὦσιν ἀφανεῖς, καὶ περὶ τῶν ἀψύχων τῶν ἐμπεσόντων καὶ ἀποκτεινάντων· προειστήκεσαν δὲ τούτου τοῦ δικαστηρίου φυλοβασιλεῖς*) an secundum archontem, cui nomen *βασιλεύς* esset. Posterius si verum est, singulari numero malim legere *ὑπὸ τοῦ βασιλέως*. Porro praeeunte Sintenisio pro *ἔφυγον* imperfectum *ἔφευγον* restituendum arbitror (cf. p. 14 et 35); *ἔφυγον* significaret: „qui ob regnum affectatum in exilium missi sunt, quum haec lex promulgata est," quum manifesto loci sententia haec debeat esse: „qui in exilio erant."

Ib. 21. *ταῦτα δὴ πάλιν ὡς πρὸ τῆς Σόλωνος ἀρχῆς καὶ νομοθεσίας τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν οὖσαν ἐνδείκνυται.* De difficillima de senatu Areopagitico quaestione hoc statui posse videtur eum diu ante Solonem fuisse inque eum omnes, qui ceteros nobilitate opibusque superarent, ascisci solitos, Solonem vero instituisse ut posthac ii tantum, qui archontum officio functi essent, in eum allegerentur. Quae conjectura confirmatur testimonio gravissimi auctoris, Arist. Polit. II, 9, 2 *εἶναι γὰρ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ὀλιγαρχικόν, τὸ δὲ τὰς ἀρχὰς αἱρετὰς ἀριστοκρατικόν, τὰ δὲ δικαστήρια δημοτικόν· ἔοικε δὲ Σόλων ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν.*

Ib. 29. *ταῦτα μὲν οὖν καὶ αὐτὸς ἐπισκόπει.* Annotat Reiskius: „malim *ταῦτα μὲν οὖν ἕκαστος αὐτὸς ἐπισκοπείτω*, haec

unusquisque ipse secum contemplator," cui minime assentior. Censeo enim his verbis Plutarchum sese convertere ad amicum Sossium Senecionem, cui partem operum suorum dedicavit et quem nominatim alloquitur in prooemio quaestionum convivalium et in initio vitarum Romuli, Demosthenis et Dionis.

Cap. XX, 1. τῶν δ' ἄλλων αὐτοῦ νόμων ἴδιος μὲν μάλιστα καὶ παράδοξος ὁ κελεύων ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γενόμενος. Passim haec Solonis lex et apud Plutarchum (praec. reipubl. gerendae 32, de soll. anim. 8, de sera num. vind. 4) et apud scriptores Romanos commemoratur, cf. Aul. Gell. II, 12, Cic. Epp. ad Att. X, 1. Differunt autem inter se in statuenda poena: Plutarchus enim infamiam, Aristoteles apud Gellium l.l. exilium, Cicero mortem poenam fuisse tradit.

Ib. 36. οὐδὲ περιοπτέον ἀώρους καὶ ἀχαρίτους ἐπιπλοκάς. „Perpetuo Veterum usu εὔχαρις et εὐχάριστος, ἄχαρις et ἀχάριστος sic distinguuntur ut animum gratum et ingratum habentes εὐχάριστοι et ἀχάριστοι dicantur, sed venustus et scitus et elegans εὔχαρις et ἐπίχαρις nominetur, et ἄχαρις qui venustatis et elegantiae sit expers. Nauci non sunt formae ὁ, ἡ ἀχάριτος, εὐχάριτος et ἐπιχάριτος a Graeculis imperite fictae. Probae sunt τοῦ ἀχάριτος, οἱ εὐχάριτες, et sic τὰ ἀχάριτα." (V. Cl. Cobetus in Nov. Lectt. p. 420) Corrigendum igitur est ἀχάριτας, quod ob vicinum adjectivum in ους exiens labem contraxisse videtur.

Ib. 30. τὸ πρὸς τὸν Φιλοκτήτην, εὖ γοῦν ὡς γαμεῖν ἔχεις τάλας. Idem versus cum praecedenti legitur apud Plutarchum, cap. 9 an seni sit ger. respubl., ex quo loco patet verba esse senem a nuptiis contrahendis dehortantis: ὥσπερ γὰρ ὁ γαμεῖν παρασκευαζόμενον γέροντα ἐστεφανωμένον καὶ μυριζόμενον ἀποτρέπων, καὶ λέγων τὰ πρὸς τὸν Φιλοκτήτην

τίς δ' ἄν σε νύμφη, τίς δὲ παρθένος νέα
δέξαιτ' ἄν; εὖ γοῦν ὡς γαμεῖν ἔχεις τάλας.

κ. τ. λ. Musgrave, qui hos versus inter fragmenta Euripidei Philoctetae rettulit, errasse videtur. Non tragoediae, sed comoediae fuisse res ipsa clamat, quamobrem recte Matthiae, frgm. Eur. p. 289 versus comico Strattidi tribuisse existimandum est, cujus comoedia Philoctetes commemoratur apud Pollucem VII, 134: Στράττις ἐν τῷ Φιλοκτήτῃ φησίν κ. τ. λ. et apud Athenaeum VII, p. 327 e: μνημονεύει τοῦ φάγρου καὶ Στράττις — ἐν Φιλοκτήτῃ.

Cap. XXI, 1. Ἐπαινεῖται δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τὸν τεθνηκότα κακῶς ἀγορεύειν. καὶ γὰρ ὅσιον τοὺς μεθεστῶτας ἱεροὺς νομίζειν καὶ δίκαιον ἀπέχεσθαι τῶν οὐχ ὑπαρχόντων. Valde dubito num postrema verba recte intellexerit Reiskius, quum annotaret: „scilicet τῶν λοιδοριῶν aut τῶν ἀδικιῶν, sese abstinere ab insectatione eorum, qui laedendi aut conviciandi principes non fuerunt, initium jurgii non fecerunt." Mihi potius significat: et justum est abstinere ab iis, qui, quum non adsint, defendere sese non possunt.

Ib. 11. εὐδοκίμησε δὲ κἀν τῷ περὶ διαθηκῶν νόμῳ· πρότερον γὰρ οὐκ ἐξῆν. „οὐκ ἐξῆν sc. διαθέσθαι, quod latet in v. διαθη-

κῶν." Schaeferus. Admodum dura oratio, quae nos cogat ut ex substantivo simul verbum non expressum intelligamus. Plutarchum tam negligenter atque obscure locutum esse a me impetrare non possum ut censeam. Inserendum igitur v. διαθέσθαι aut post γάρ aut post ἐξῆν persuasum mihi est.

Ib. 14. ὁ δ' ᾧ βούλεταί τις ἐπιτρέψας, εἰ μὴ παῖδες εἶεν αὐτῷ, δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ — οὐ μὴν ἀνέδην γε πάλιν οὐδ' ἁπλῶς τὰς δόσεις ἐφῆκεν, ἀλλ' εἰ μὴ νόσων ἕνεκεν ἢ φαρμάκων ἢ δεσμῶν ἢ ἀνάγκῃ κατασχεθεὶς ἢ γυναικὶ πιθόμενος (ex emendatione V. Cl. Cobeti). Ipsa lex descripta est apud Demosthenem, κατὰ Στεφάνου B. p. 1133 § 14: ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὥστε μήτε ἀπειπεῖν μήτε ἐπιδικάσασθαι [1]), ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχήν, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄῤῥενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως ἢ φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πιθόμενος (pro πειθόμενος), ὑπὸ τούτων του παρανοῶν, ἢ ὑπ' ἀνάγκης ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς. Apparet e comparatione Plutarchum non omnes legis partes neque eodem ordine citasse. Eandem legem respiciunt Plutarchus Quaest. Rom. 7: Σόλων γράψας τὰς μὲν δόσεις κυρίας εἶναι τῶν τελευτώντων, πλὴν εἰ μή τις ἀνάγκῃ συνεχόμενος ἢ γυναικὶ πιθόμενος, et Demosthenes πρὸς Λεπτίνην p. 488 § 102: εἰ γὰρ ὁ μὲν Σόλων ἔθηκε νόμον ἐξεῖναι δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ ᾧ ἄν τις βούληται, ἐὰν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι. Postea autem testamentum facere ne ei quidem permissum erat, qui muneris publici rationes nondum reddidisset, quod discimus ex Aesch. contra Cte-

[1]) Quid verba ὅσοι — ἐπιδικάσασθαι sibi velint, me non plane intelligere fateor.

siphontem § 21: *πάλιν ὑπεύθυνον οὐκ ἐᾷ — διαθέσθαι τὰ ἑαυτοῦ.*

Ib. 29. *ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν.* Haec lex, quam Solonem Epimenidi debere auctor noster in capite duodecimo testatur, postea in leges XII tabularum translata est, quod declarat Cicero de Legg. II § 64: „postea, quum, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem iisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt. De lamentis vero expressa verbis sunt: mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento." Lycurgus jam ante Solonem funera certo tempore definierat, quum undecim dies mortuum lugere permitteret, duodecimo die sacrificare Cereri luctuiqne finem imponere juberet.

In verbis *τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων* inepte vox *ἄλλον* abundare videtur multoque melius adverbium loco accommodatum esse puto. Conjicio pro ΑΛΛΟΝ legendum esse ΛΙΑΝ aut ΑΓΑΝ. Nimium ejulatum in funere alieno sustulit.

Cap. XXII, 10. *εἱλωτικοῦ πλήθους, ὃ βέλτιστον ἦν μὴ σχολάζειν — περικεχυμένου τῇ Λακεδαίμονι.* Pro *βέλτιστον* malim legere *βέλτιον*, quod H. Stephanus e quibusdam libris protulit et a nonnullis recentioribus editoribus receptum est. Comparativorum et superlativorum temere a scribis con-

fusorum exempla collegit V. Cl. Cobetus, Nov. Lectt. p. 119, 552, 628.

Cap. XXIII, 5. *πλὴν ὅσαι πεφασμένως πωλοῦνται.* Sintenis in annotatione critica scribit: „praestat fortasse *πολοῦνται.*" Equidem non fortasse, sed utique praestare putaverim. Plutarchus enim ipsa verba ex Solonis legibus sumpsit, quae in sequentibus sic explicat: *αὗται γὰρ ἐμφανῶς φοιτῶσι πρὸς τοὺς διδόντας.* Ante Euclidem autem (Ol. 94, 2) Athenienses in omnibus documentis publicis utebantur *γράμμασιν Ἀττικοῖς* sive *ἀρχαϊκοῖς*, in quibus Ε etiam erat pro ΕΙ et Η, Ο pro ΟΥ et Ω. Restituendum igitur *πολεῖσθαι*, quod etiam legitur et explanatur in Lysiae oratione *κατὰ Θεομνήστου* A § 19: *ὅσαι δὲ πεφασμένως πολοῦνται — τὸ μὲν πεφασμένως ἐστὶ φανερῶς, πολεῖσθαι δὲ βαδίζειν.*

Ib. 17. *ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος.* Demetrius Phalereus, Theophrasti discipulus, teste Diogene Laërtio [1]) omnes fere sui temporis peripateticos librorum multitudine, quorum tituli ibi enumerantur, superavit. Quo ex libro Plutarchus eam, quam nostro loco tradit, notitiam hauserit, certo demonstrari nequit. Conjicere tamen probabiliter possis totam hanc Solonis legum enumerationem desumptam esse ex Demetrii libro *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας*, quod etiam Muellerum, frgm. Hist. Graec. II p. 362 fecisse video. Passim laudatur a nostro scriptore, cf. vit. Lyc. 23, Aristid. 1, 5, 27, Demosth.

---

[1]) Diog. Laërt. V, 80: *πλήθει δὲ βιβλίων καὶ ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τοὺς κατ' αὐτὸν Περιπατητικούς, εὐπαίδευτος ὢν καὶ πολύπειρος παρ' ὁντινοῦν.*

9, 11, 14, 28, quorum locorum penultimus a Muellero praetermissus est.

Ib. 41. *βλάπτουσαν ἐνίοις ἀποῤῥοὴν ἀφίησι.* Verbum *βλάπτειν* nusquam cum dativo, semper et ubique cum accusativo conjungitur. Manifesto igitur quae hic reperitur constructio vitiosa est. Quia vero pro *ἐνίοις* neque *ἐνίους* neque *ἔνια* legi potest, mendum in participio *βλάπτουσαν* latere videtur, pro quo si adjectivum *βλαβεράν* restitueris, Plutarcho suum redditum esse censeo.

Cap. XXIV, 14. *τοῦτο δὲ ποιῆσαι φασὶν αὐτὸν οὐχ οὕτως ἀπελαύνοντα τοὺς ἄλλους ὡς μετακαλούμενον Ἀθήναζε τούτους κ. τ. λ.* Haud scio an rectius scribatur *ἀπελῶντα*, futurum pro praesenti, quemadmodum etiam *μετακαλούμενον* acceptum malim. Sensus enim loci est: Solon lege sanxit ut eos tantum in civitatem Atheniensium recipere liceret, qui e sua patria in exilium perpetuum exacti essent, aut qui cum omni familia artis exercendae gratia Athenas commigrassent. Quod Solonem statuisse ferunt non ut extraneos summoveret deterreretque, sed ut eos certa spe se civitatis participes fore alliceret. Nonne omnino necesse est ad futurum haec referantur? Vitium inde natum esse videtur, quod alterum participium *μετακαλούμενον* falso pro praesenti intellectum esset.

Ib. 18. *ἴδιον δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ τὸ περὶ τῆς ἐν δημοσίῳ σιτήσεως.* Loquitur Plutarchus de epulis, quae honoris causa civibus de patria bene meritis sumptu publico parabantur,

qui honor constanti Veterum usu appellatur ἡ ἐν πρυτανείῳ σίτησις. τὸ δημόσιον vero, quod hic commemoratur, est aut carcer publicus aut aerarium publicum, utrumque ab hoc loco prorsus alienum. Qua de causa levi mutatione opus esse et δημοσίᾳ pro ἐν τῷ δημοσίῳ legendum censeo, quod ad lectionem codicum proxime accedit. Adverbium δημοσίᾳ cum verbo τρέφεσθαι conjunctum est in cap. 31: ὁ τοὺς πηρωθέντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφεσθαι κελεύων sc. νόμος.

Cap. XXV, 2. καὶ κατεγράφησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας. V. Cl. Cobetus in Var. Lectt. p. 386 optime monuit κατεγράφησαν vitiosum esse pro ἀνεγράφησαν, quod Plutarchum quoque non ignorasse puto. Rescribo igitur ἀνεγράφησαν, quod est verbum legitimum in tali re, cf. Lys. κατὰ Φιλοκράτους (30, 2): προσταχθὲν γὰρ αὐτῷ τεσσάρων μηνῶν ἀναγράψαι τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος et passim.

Ib. 7.

πρὸς τοῦ Σόλωνος καὶ Δράκοντος οἷσι νῦν
φρύγουσιν ἤδη τὰς κάχρυς τοῖς κύρβεσιν.

Quomodo duo dativi, οἷσι et τοῖς κύρβεσιν accipienda sint, equidem non video. Non probo Meinekii explicationem (frgm. com. gr. 2, p. 218): „πρὸς τῶν κύρβεων τοῦ Σόλωνος καὶ Δράκοντος, οἷς νῦν φρύγουσι etc., itaque τοῖς κύρβεσι nota attractione dictum pro τῶν κύρβεων," qualis attractionis mihi saltem exempla nota non sunt. Sensui optime medetur Reiskius corrigens: „ὧν τανῦν (leg. τὰ νῦν), ut ὧν construatur cum τοῖς κύρβεσιν."

Ib. 13. εἴ τινα (emendavit V. Cl. Cobetus, Mnem. Nov. Ser. Vol. VI, p. 136) παραβαίη τῶν θεσμῶν ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς. Multa, quae hic ei, qui Solonis leges violasset, dicitur, a nullo solvi potuisset, nisi χρυσοῦς dictum esse pro ἐπίχρυσος intelligas. Hujus usus exempla praebent Herodotus, qui quas κλίνας χρυσέας dicit IX, 82, easdem cap. 80 κλίνας ἐπιχρύσους dixerat, et Pausanias collatus cum Athenaeo. Paus. X, 18, 7 enim imaginem, quam Gorgias Apollini Delphico dedicavit, ἐπίχρυσον vocat, quum Athen. XI p. 505 d eandem χρυσῆν appellet.

Praeterea verba ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς vitiosa esse suspicor. Graeci enim semper dicunt ἀνατιθέναι ἐς, non ἐν, cf. Herod. II, 135 τοῦτο ἀναθεῖναι ἐς Δελφοὺς μνημόσυνον ἑωυτῆς, ib. 182 ἀνέθηκε δὲ καὶ ἀναθήματα ὁ Ἄμασις ἐς τὴν Ἑλλάδα, Plat. Legg. XII, 943 c τοῦτον δὲ εἰς τὰ τῶν πολεμικῶν θεῶν ἱερὰ — ἀναθεῖναι, Dinarch. I, 43 τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν ἀνατεθησομένην εἰκόνα. Corrigendum igitur ἀναθήσειν εἰς Δελφούς.

Cap. XXVI, 1. πρῶτον μὲν οὖν εἰς Αἴγυπτον ἀφίκετο καὶ διέτριψεν, ὡς καὶ πρότερον αὐτός φησι. Nisi verbum πρότερον, in quo explicando multi viri docti oleum et operam mihi perdidisse videntur, expungatur, (eo enim deleto tota oratio recte procedit) cum Bergkio (Poët. Lyr. Gr. p. 347) statuendum erit, versum Solonis non ad illud tempus pertinere, quo Plutarchus Solonem Aegyptum adiisse dicat, i. e. republica Atheniensium legibus firmata, sed referendum ad elegiam, quam ante illud iter composuerit. Fortasse

enim jam olim juvenis Solon Aegyptum viserat, cf. cap. 2 ὥρμησε νέος ἔτι ὢν πρὸς ἐμπορίαν.

Cap. XXVII, 26. ἠρώτησεν αὐτὸν ὁ Κροῖσος, εἴ τινα οἶδεν ἀνθρώπων αὐτοῦ μακαριώτερον. V. Cl. Cobetus in Mnem. Nov. Ser. Vol. VI, p. 137: „pro οἶδεν ex uno libro receptum revocandum εἶδεν." Quamquam nimis audax videri possum a V. Cl. dissentiens, nolo tamen reticere quae ad tuendam lectionem vulgatam proferri posse arbitrer. Verba Croesi Solonem interrogantis fuerunt: ἆρ' οἶσθά τινα ἀνθρώπων ἐμοῦ μακαριώτερον, i. e. nostine hominem me beatiorem? Non intererat Croesi scire num quem vidisset Solon, sed omnino num quem hominem nosset se beatiorem. οἶδεν etiam stabiliri censeo perfecto ἔγνωκεν in proxima vicinia, quod plane idem significat atque οἶδεν. Nihilo magis necesse puto esse verba αὐτοῦ μακαριώτερον mutare in πάντων μακαριώτατον; quamquam enim ita apud Herodotum scriptum est, Plutarchum, qui etiam apud alios et ipsos Herodotum secutos narrationem de colloquio inter Solonem et Croesum legisset, (cf. initium cap. 27 καὶ τοσούτους μάρτυρας ἔχοντα) paulo aliter rem tradidisse sumere licet. Porro eam ipsam interrogationem „nostine quemquam me beatiorem" optime cadere opinor in regem arrogantissime de semet ipso sentientem et plus aequo sibi placentem. Quare hoc quoque loco vulgatam servare malim.

Ib. 40. ὑποδύντες τῷ ζυγῷ. ὑποδύεσθαι aut cum accusativo conjungendum est aut praepositio ὑπό repetenda, ut Herodotus de eadem re scribens habet ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴν

ζεύγλην. Dativus uno tantum loco, quantum sciam, invenitur, ubi tamen verbum non sensu proprio adhibitum est: Od. 10, 398:

πᾶσιν δ' ἱμερόεις ὑπέδυ γόος.

Praestat igitur lectio ὑποδύντες τὸ ζυγόν.

Cap. XXVIII, 4. τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. Dictum Aesopi pervulgatum in Graecia videtur fuisse, quippe quod et laudetur a Diodoro Siculo XV, 7 (διότι δεῖ τὸν φιλόσοφον τοῖς τυράννοις ἢ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν, quae sunt verba philosophorum Syracusanorum ad Platonem) et a Valerio Maximo VII, 2, 11, qui Aristotelem Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum Magnum dimittentem ita loquentem facit: „ut cum eo aut rarissime aut quam jucundissime loqueretur."

Ib. 15. τῶν παρ' Ἕλλησι σοφῶν εἷς οὗτος ἦν ἀνήρ. Quia articulo carere non possumus, scribendum videtur ἀνήρ, cf. Cob. Mnem. Nov. Ser. Vol. VI, p. 133. Levior est haec mutatio quam Schaeferi et Bekkeri, quos video ὁ ἀνήρ scripsisse.

Cap. XXIX, 7. οὐκ ἴσον ἐλπίζοντας, ἀλλὰ πλέον ἕξειν ἐν τῇ μεταβολῇ καὶ κρατήσειν παντάπασι τῶν διαφερομένων. Perperam Reiskius in versione latina: „sperabant nempe non quod aequum erat, sed aliena quoque se assecuturos in mutatione, et adversam partem undequaque oppressuros." ἴσον conjungendum est cum ἕξειν et opponitur voci πλέον. Significat igitur: sperabat quaeque factio fore ut certamine

non pares cum ceteris opes sibi compararet, sed ut superior ex eo discederet, ita ut adversam partem omnibus numeris opprimeret.

Ib. 10. *αἰδῶ μὲν εἶχε.* Veteres grammatici tradunt accusativum verborum in *ώ* et *ώς* exeuntium, quamquam contractum ex *όα*, scribendum esse *ώ*, igitur *αἰδώ*, non *αἰδῶ*. Sed quia in his rebus eorum auctoritas admodum levis est, recte fortasse Sintenis cum codicibus scripsit *αἰδῶ*.

Cap. XXX, 5. „*οὐ καλῶς*" *εἶπεν* „*ὦ παῖ Ἱπποκράτους, ὑποκρίνει τὸν Ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα· ταῦτα γὰρ ποιεῖς τοὺς πολίτας παρακρουόμενος, οἷς ἐκεῖνος τοὺς πολεμίους ἐξηπάτησεν αἰκισάμενος ἑαυτόν.*" Postquam Pisistratus vulneribus ipse sibi inflictis in forum venit populumque concitavit, simulando se reipublicae causa insidiis ab inimicis circumventum esse, Solon propius accedens, „non recte". inquit „Ulyssem Homericum agis, quum tu, qua fraude ille hostibus imposuit, eadem utaris ad decipiendos cives." Nemo est quin, quum haec legat, statim intelligat Solonem alludere ad dolum Ulyssis, qui narratur Od. 4, 242 sq. Duo vocabula autem, quae adjecta sunt, *αἰκισάμενος ἑαυτόν*, sensum frigidum et languidum reddunt omnemque leporem perimunt, quam ob causam ea in marginem, ubi ab erudito lectore ascripta fuerunt, releganda esse existimo.

Ib. 47.

καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.

Sententia postulat: atque hanc ob causam miseram pa-

timini, servitis servitutem. Corrigendum igitur censeo σχετε, quod jam occupatum video a Bryano.

Cap. XXXI, 17. ᾧ τήν τε χώραν ἐνεργεστέραν — ἐποίησεν. Vocabulum ἐνεργεστέραν mutandum esse opinor in ἐνεργοτέραν, quandoquidem ex substantivis primae et secundae declinationis formantur adjectiva in -ος -ον exeuntia, adjectiva in -ής autem nascuntur e substantivis in -ος neutrius generis. E substantivo ἔργον igitur fit ἐνεργός, quemadmodum e θεὸς ἔνθεος, e τιμὴ ἄτιμος etc.

THESES.

THESES.

I.

Hom. Od. IX, 143:

οὐδὲ προὐφαίνετ' ἰδέσθαι.

Leg. *οὐδὲ προὔφαινε Fιδέσθαι.*

II.

Ib. 182:

ἔνθα δ' ἐπ' ἐσχατιῇ σπέος εἴδομεν, ἄγχι θαλάσσης.

Leg.

ἔνθα δ' ἐπ' ἐσχατιῇ Fίδομεν σπέος, ἄγχι θαλάσσης.

III.

Soph. Aj. 782:

εἰ δ' ἀπεστερήμεθα,
οὐκ ἔστιν ἀνὴρ κεῖνος, εἰ Κάλχας σοφός.

In priore versu recte Badham *εἰ δ' ἄρ' ὑστερήσαμεν* emendasse videtur, alterum ita legendum censeo:

οὐκ ἔστ' ἔθ' ἀνὴρ κεῖνος, εἰ Κάλχας σοφός.

IV.

Thuc. II, 13:

Περικλῆς — ὑποτοπήσας, ὅτι Ἀρχίδαμος αὐτῷ ξένος ὢν ἐτύγχανε, μὴ πολλάκις ἢ αὐτὸς ἰδίᾳ βουλόμενος χαρίζεσθαι τοὺς ἀγροὺς αὐτοῦ παραλίπῃ καὶ μὴ δῃώσῃ.

Verba *καὶ μὴ δῃώσῃ* insiticia sunt.

V.

Thuc. II, 29:

ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος νῦν καλουμένης γῆς ὁ Τηρεὺς ᾤκει.

Dele *ὁ Τηρεύς.*

VI.

Thuc. II, 37:

χρώμεθα γὰρ πολιτείᾳ οὐ ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους, παράδειγμα δὲ μᾶλλον αὐτοὶ ὄντες τινὶ ἢ μιμούμενοι ἑτέρους.

Verba *ἢ μιμούμενοι ἑτέρους* expungenda videntur.

VII.

Thuc. II, 87:

χώραν μὴ προλείποντες ᾗ ἄν τις προσταχθῇ.

Lege *ταχθῇ.*

VIII.

Thuc. II, 93:

ὁ Κνῆμος καὶ ὁ Βρασίδας καὶ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες — ἐβούλοντο — ἀποπειρᾶσαι τοῦ Πειραιῶς [τοῦ λιμένος τῶν Ἀθηναίων].

Delenda sunt quatuor verba uncinis inclusa.

IX.

Thuc. III, 69:

Αἱ δὲ τεσσαράκοντα νῆες — ὡς — ἐπιδιωχθεῖσαι καὶ πρὸς τῇ Κρήτῃ χειμασθεῖσαι καὶ ἀπ' αὐτῆς σποράδες πρὸς τὴν Πελοπόννησον κατηνέχθησαν κ. τ. λ.

Dele *καί* ante *ἀπ' αὐτῆς.*

X.

Demosth. *πρὸς Λεπτίνην*, pag. 463, § 21:

καὶ μὴν τῶν γε πολιτῶν οὐκ εἰσὶ πέντε ἢ ἕξ.

Dele *οὐκ.*

XI.

Ib. § 22:

ἵν' οὖν τριάκοντ' ἄνθρωποι ἢ πλείους παρὰ πάντα τὸν χρόνον λειτουργήσωσιν.

Dele *ἤ.*

XII.

Ib. pag. 471, § 46:
οἱ προϋπάρχοντες τῷ ποιεῖν εὖ.
Corrigendum τοῦ.

XIII.

Lucian. Jup. Trag. § 17:
ὁ δ' ἕτερος τὰ ἡμέτερα ὁ Τιμοκλῆς ἐφρόνει.
Dele ὁ Τιμοκλῆς.

XIV.

Lucian. Somn. s. Gall. § 19:
εἰπὼν ὡς τρὶς ἂν ἐθέλοι παρ' ἀσπίδα στῆναι. ἢ ἅπαξ τεκεῖν.
Post στῆναι inseratur μᾶλλον.

XV.

Plut. de vit. aer. al. cap. 4:
δουλεύουσι γὰρ ἅπασι τοῖς ἀ φ α ν ι σ τ α ῖ ς.
Lege δανεισταῖς.

XVI.

Dio Cass. XXXVII, 36:
ὥστε καὶ τῶν προτέρων τινὰς κ α τ α γ ν ῶ ν α ι.
Lege μεταγνῶναι.

XVII.

Ib. 53:

γῇ γάρ τινι πρὸς τῇ νήσῳ οὔσῃ π ρ ο σ χ ώ ν.

Lege *προσσχών.*

XVIII.

Id. XXXVIII, 7:

τὸ τριτημόριον σφίσι τῶν τελῶν, ἃ ἐ μ ε μ ί σ θ ω τ ο, ἀφείς.

Lege *ἐμεμίσθωντο.*

XIX.

Ib. 16:

οὔτε ὁ Κλώδιος χρηματίσασθαί τι ὑπὲρ αὐτοῦ τ ο ῦ Ν ι ν ν ί ο υ ἐπέτρεψεν.

Lege *τῷ Νιννίῳ.*

XX.

Ib. in fine:

καὶ π υ θ ό μ ε ν ο ς τοῦ Κλωδίου.

Lege *πυθομένου.*

XXI.

Non assentior Bentlejo Hor. Od. I, 2, 39, M a r s i pro M a u r i legenti.

XXII.

Cic. in Verr. V, § 5:

Ubi? quando? qua ex parte? cum aut ratibus aut navibus conarentur accedere?

Tolle signum interrogationis post verba: qua ex parte.

XXIII.

Ib. § 12:

[Haec ubi eveniunt,] nemo [est] qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur.

Delenda sunt verba, quae uncinis inclusi.

XXIV.

Ib. § 23:

Statuite quanti hoc putetis et quam multos redemisse.

Expungendam censeo conjunctionem e t.

XXV.

Caes. de Bello Gallico, I, 31, 9:

Verba „quod solus neque jurejurando neque obsidibus teneretur" spuria sunt.

XXVI.

Liv. I, 9, 13:

Turbato per metum ludicro maesti parentes virginum profugiunt, incusantes violati hospitii foedus deum que invocantes.

Corrigendum: violatum hospitii foedus.

XXVII.

Liv. I, 34, 6:

Roma est ad id potissimum visa.

Lege: Roma ei ad id apta potissimum visa.

XXVIII.

Liv. III, 39, 1:

Sed magis obedienter ventum in curiam est, quam obnoxie dictas sententias accepimus.

Reponendum videtur: ventum in curiam esse.

XXIX.

Contrario modo peccatum est apud eundem V, 48, 9: auditaque intoleranda Romanis vox vae victis esse.

Scribendum enim: auditaque — est.

XXX.

Liv. IV, 17:

Itaque ad curam rerum quieta plebe tribunisque ejus nihil controversiae fuit, quin consules crearentur M. Geganius Macerinus tertium et L. Sergius Fidenas.

Scribe: tribunisque ejus anni.

XXXI.

Liv. IV, 32, 1:

et justitium in foro tabernaeque clausae.

Post justitium excidit vocabulum indictum.

Cic. in Ver
Ubi? quand
as conarent
Tolle sign

Ib. § 12:
[Haec ub
eliquam es
Delenda

Ib. § 2
Statuite
Expung

Caes.
Verba
eneretu

Liv.
Turt
rofugi
ue ir
Cor

XXXII.

[illegible] discordiae intestinae metu [illegible]
[illegible]
[illegible] restituendum censeo sopitae.

XXXIII.

[illegible] Röm. Gesch. III, pag. 15 demon[illegible]
[illegible] natum esse anno 102 a. Chr. n.

XXXII.

Liv. V, 17, 10:

Eoque mitescere discordiae intestinae metu communi, ut fit, coeptae.

Pro coeptae restituendum censeo sopitae.

XXXIII.

Frustra Mommsen, Röm. Gesch. III, pag. 15 demonstrare conatur Caesarem natum esse anno 102 a. Chr. n.

